1879
CAB INTERNATIONAL
MYCOLOGICAL INSTITUTE
LIBRARY
HERB.
31 MAY 1991
Cesati

9.

MYCETUM

IN ITINERE BORNEENSI LECTORUM

A CL. OD. BECCARI

ENUMERATIO

CURIS

VINCENTII CESATI

NEAPOLI
TYPIS REGIAE SCIENTIARUM ACADEMIAE
APUD MICHAËLEM DE RUBERTIS
—
MDCCCLXXIX

Estratto dal Vol. VIII degli Atti della Reale Accademia delle Scienze Fisiche e Matematiche di Napoli.

Letta nell' adunanza del dì 13 luglio 1878.

MYCETUM IN ITINERE BORNEENSI LECTORUM A CL. OD. BECCARI

Cum jamdiu in Actis hujusce Academiae enumerationem Filicum tradiderim botanicis, quas strenuus viator italicus Beccari in bino itinere ad insulas Majores Aequoris Indici ac Malensis colligerat, tertium nunc hic offero tentamen de collectionibus ejus Mycetum agmen illustrans, pro maxima parte in ditione Sarawak insulae Borneensis coadunatum, pro caetero ex insulae Ceylaniae regionibus Pedrotallagalla, Nuwara Ellya, Paradenya etc.; opus parvae molis sed improbe laboriosum factum e causis complurimis, de quibus amplius locutus sum in Diario hodierno Academiae ipsius. Non resonabunt hic quaerulae voces. Tantummodo pauca addam verba de ordine, quem in redigendis his notulis praediligere placuit. Facile a Neotericis serierum sat trita coordinatio et expositio, generum imprimis singulorum minus acuta distinctio, redarguendae forent. Sed facili censurae facile quippe mihi prodest responsum.

In opere quotidiano genera huc usque accepta subtilioribus argumentis in plura dirimendi eo ventum est, ut saepe saepius vix judicium ferre liceat in determinandis speciminibus, nisi habeamus prae oculis totam eorum evolutionis seriem, a spora germinanti usque ad sporam alterius ordinis, integrum speciei determinatae cyclum, seu verum, seu non infrequenter sane hypoteticum, recludentem. Quanta in phytographicis negotiis utilitate hoc possit perduci, quoties illustrentur specimina a viatoribus per plagas remotas, nondum exploratas, inhospitas, frequenti vitae discrimine afflictis, vix est qui intelligere non valeat. Quod si insuper generum nimia dissectio haud raro jam patefiat infesta, ubi de majori formarum mole agatur, eo magis planiorem synthesim turbat, dum manipulus sat exilis exhibeatur, in quo diffracta solummodo et sparsa singulorum ordinum membra in conspectum veniant.

Syllabum meum exinde in praesenti controversia hic proponere licitum sit. Hodiernae scientiae incessum ultra antiquatos phytographiae aridae nudissimae limites expan-

sum toto corde admiror proboque et prosequor. Sed in tanta novitiarum, quae nobis proponuntur, farragine et phantasmagoria, in tanta novatorum libidine ad captandam famam, ad arripiendas sedes vilioraque lucra indenda, plaudentibus oviculis asseclis turbisque adcoecatis, sanioris mentis propositum esse censeo, considerate accipere judicia, caute judicia ferre. Argutiae, et sint alte conclamatae, non efficiunt scientiam; sat vicium ad nugas pueriles, nisi vexatorias, devertunt. Valete! [1].

HYMENOMYCETES

Agaricus (Tricholoma) sub-gambosus, Nob.

Pileus ex inflexo conicus tandem umbonato-expansus, pallide umbrinus, siccus?, carne alba ad marginem extenuata; stipes superne albus fibrillosus? cylindraceus, inferne lividus sensim incrassatus, basi attenuata, intus albus farctus; lamellae albae, angustae, rotundato-liberae, margine integerrimo.

Sarawak.

Ad iconem Beccarianam descriptus.

— **(Clitopilus?) orcellarius, Nob.**

Habitus omnino *Agarici Orcellae*, et speciem *A. Pseudo-Orcellae*, Fr. in Epicr. ed. II, p. 198, valde affinem suspicor.

Pileus primitus inflexo-ovoideus velo fugaci cingulatus, dein lobato-expansus in disco depressus infundibularis, albidus, squamulis brunneolis sericeis conspersus, in stipitem tenuiorem curvum basi subincrassata album farctum abiens, lamellis decurrentibus undulatis flaccidis, pallide carneis, margine furfuraceo-denticulato. Sapor haud ingratus. — Ad iconem et notulas Beccarianas descriptus.

Matang, junio 1866.

— **(Pleurotus) semisupinus, B. Br. Journ. Linn. Soc. XI, p. 529.**

Sarawak.

Agaricus (Omphalia) micromeles, B. Br. Journ. Linn. Soc. XIV 527.

Etich River in ditione Sarawak.

— **(Flammula) paupercula, Nob.** — *A. goniosporo*, β. Br. Fungi Zeyl. in Linn. Soc. Journ. XI, p. 541, affinis, praesertim ex basi stipitis in discum orbicularem tomentosum expansa. Sed obstant sporae ovoideae minime angulatae: diametro majori $=0066^{mm}$. Concolor, totus cinnamomeus; pileus semipollicaris convexus levis; lamellae decurrenti-adnatae; stipes pileum aequans, ad apicem incrassatus. — Nisi tria pauperula individua praestant, haud concinne determinanda. — Lignatilis.

Sarawak.

— **(Naucoria) Myosotis, Fr.** Miserrimum individuum vix alibi quaerendum in systemate.

Sarawak.

— **(Crepidotus) mollis, Schaeff.**

Sarawak.

— **(Crepidotus) proteus, Kalchbr.**

Collatus cum specimine a dom. Mac Owan lecto, et a cl. de Thümen benevole communicato, convenit.

Paradenya: ad fructus ignoti putamen.

— **(Crepidotus) flavomarginatus, B. Br. Jour. Linn. Soc. XI, p. 546.**

Ceylon, ad Pedrotallagalla, majo 1865.

— **(Crepidotus) pezizula, B. Br. l.c. XIV, p. 32.**

Ceylon, ad Pedrotallagalla: majo 1865.

[1] Cum factum sit, et tentamina quotidiana mihi suaserint facillime fieri continuo, quod mensiones micrographicae numeros saepe saepius nimis discrepantes pro una eademque specie exhibuerint, sive variae methodi auctorumque in observationibus peritiae, sive differentiae causa, quae inter singulas compages dioptricas intercedit, observationes directas ope *micrometri* sic dicti *objectivi* instituere mihi libuit, quod *quintam* millimetri partem exactissime *centies aequilate* divisam offert. Hinc mensura sequenti modo expressa: 50×5 indicabit longitudinem objecti $^{50}/_{500}$ m., latitudinem vero $^{5}/_{500}$ m. amplecti. Cum autem clarissimus et amicissimus Mycologus D. Cooke benevole mensurationes partium fructificationis ab ipso institutas ad hodiernam normam apud plures species hic descriptas communicaverit in litteris, obsequenter et grate referentur suis locis.

Ingenue me profiteor dissentientem ab Auctoribus cryptogamologicis, qui, in statuenda dignitate specierum minutissimas, et haud raro forsan complicatas mensiones momenti justo majoris faciunt. Sinite mihi libere sententiam meam patefacere: argutam censeo methodum; sed nimis argutam, hinc minus probam.

Clarissimis viris, Rev. Berkeley et D. Cooke, gratias quam maximas hic agere sanctum mihi oficium est, propterea quod difficultates ex adminiculorum inopia mihi exortas humanissime dirimere iis placuerit.

garicus (Panaeolus) papilionaceus, Bull.?
Forma pumila, vix tute determinanda.
Sarawak.

arasmius (Collybia) oreades, Fr.?
Unicum individuum, haud probum.
Sarawak.

— (Mycena) galericula, Nob.
Subfuniculatus, lignicolus. Stipes tres pollices metiens filiformis, corneus, rigidus, brunneus, flexuosus (nec tortus), levis, vix pulverulentus s. pruinatus, sed opacus. Pileus campanulatus, diametro pollicari, colore in sicco lurido, adspectu Agarici e serie *Mycenarum rigipedum*, senio deformatus; lamellis, quatenus judicium ferre licet, latis pallidis...—Ex stipitis indole de *Marasmio* suspicatus sum.
Paradenya in H. Botanico.

— (Mycena) arachnoideus, B. et C.
Borneo (Sarawak), ad Monocotyleae ignotae petiolum emarcidum.

NTHRACOPHYLLUM, Nob. n. gen.
Genus *Marasmiis* affine, hymenio extus intusque nigrescenti, lamellis arescentibus, exsiccatione immutatis et ipsi cultro duris corneis. Pileus suborbicularis sessilis, vix pollicaris diametri, sat explanatus, supra sulcatus (more *Schizophylli*) fulvellus adustus et fere pulverulentus; lamellae distantes, acie acuta integerrimae, inaequales, 2-3 mill. latae, attingentes, ad centrum attenuatae.
A. Beccarianum, Nob.
Ceylon, in H. B. Peradenyae, ad ramulos.

eliomyces pauciradiatus, Nob.
Proximus *H. eleganti*, Lév. Stipes 2-3— pollicaris, tenuis, compressiusculus, aequalis, tortus striatusque, glaber. Pileus diametro pollicem et semis metiens, expansus, lamellis 5-6 aequilongis filiformibus vix conspicuis. Totus concolor, ex ochraceo fuscescens.
Sarawak, in M. Mattang, 1866. Foliorum et stipitum marcescentium videtur incola. Singulum specimen.

antharellus bicolor, Nob.
Minutus, e sessili v. subsessili resupinatus; pileo coriaceo e caesio cinereo, sat explanato; hymenio albido lamellis subtilibus distantibus.
Sarawak.

nus copulatus, Ehrbg. in Hor. Phys. Berol. p. 86, tab. 81, fig. V!
Fungus noster omnino convenit cum descriptione iconeque Ehrenbergianis, si magnitudinem praetermittas, quae in speciminibus borneensibus alterius quadruplum et quintuplum, i. e. diametrum bipollicarem et ultra attingit. Ast observandum venit nostra specimina singulos pileos adultos libere et optime explicatos offerre, dum ex descriptione Ehrenbergii coloniam sat juvenilem prae oculis ei adfuisse elucet.
Sarawak.

Lentinus dactyliophorus, Lév. voy. Bon. p. 168, tab. 136, fig. 2!
Sarawak.

— glandulosus, Nob.
Ad singulum specimen, idque senio paullisper defiguratum.—Pileus e chartaceo coriaceus, eximie infundibuliformis, fere bipollicaris, rufulus, glaberrimus, azonus. Stipes semipollicaris, tenuis, lamellaeque inaequales, acie integra, ad latera glandulis conspersae, concolores.—An *L. exilis* Fr. ep. 393?
Sarawak.

— Beccarianus, Nob.
Diu haesitavi num ad *L. cladopodum*, Lév., num ad *L. cornucopioidem* Kl. remitterem fungum nostrum. A primo colore pilei fuscescenti, imo badio in fungo adultiore (saltem in sicco), neque albo, stipiteque fibrilloso excoriato nec glabro, etsi subinde e basi ramoso, differt species hic oblata; ab altero iterum stipite nec glabro neque sulcato, lamellisque angustis confertissimis, neque latis distantibusve. Stipiticola.
Sarawak.

— setiger, Lév. voy. Bon. p. 170, tab. 136, fig. 4!
Exacte medius inter speciem Léveillei, quam refert setis, aptius dicerem strigis, marginem pilei ossidentibus, et *L. velutinum*, Fr. stipite setis omnino carente et tantummodo molliter velutino.
Sarawak.

— leucochrous, Lév. l. c. p. 172?
Valde incertus haereo, in tanto Lentinorum agmine, num novam speciem addam. Basim stipitis bulbillosam fungus noster, forsan a matrice minus apte divulsus, non fert. Colore potius ad *L. albidum* Berk. in *Lond.*

journ. Vol. II (1843), p. 633 accedit, sed pileum excentricum nullimode adpellare licet. *Lentinus glabratus* Montg. magis distat.

Sarawak.

Xerotus? dasypus, Nob.

Singulum specimen, pusillum, carie consumtum, analysi subjicere nefas fuisset; neque licebat fungillum perbelle distinctum praeterire. Num *Cantharelli* sp. potius dicendus? — Pileus centralis neque pollicem diametro attingens, integer, centro depressus, setulosus; hymenio flabellatim ramose venoso, venarum acie integra obtusa. Stipes ultra pollicaris, tenuis, setulosus, setis in costulas longitudinales confluendo Carduacearum pedunculos alatos fingentibus.—Totus concolor e gilvo lutescens.

Sarawak.

Lenzites brunneola, Berkl. in litt.

Sarawak.

— **repanda**, Fr. epicr. p. 404.

Sarawak.

Boletus (Viscipellis) longicollis, Nob.

Pileo, stipite et annulo viscosissimis. Pileus ex hemisphaerico expansus, tripollicaris rufus, levis, margine acuto. Stipes quatuor-vel quinquepollicaris, tenuis, e basi ad apicem sensim attenuatus, solidus, pileo concolor, ad apicem pallidus, levis annulo luteolo distanti. Tubuli flavidi, a stipite sejuncti, poris amplis irregularibus. Pellicula pilei vix secernenda; caro tam pilei quam stipitis flavida, immutabilis.

Matang., jul. 1866.

Descriptio ad iconem et schedam Beccarianas.

— **(Viscipellis) subtomentosus**, L.?

Ex icone, nulla descriptione adjecta.

Matang.?

— **(Calopus Recedens) Mandarinus**, Nob.

Pollices decem usque altus. Pileus campanulatus in umbonem conicum porrectus, quadripollicaris, levis, siccus, sanguineus. Stipes elatus, e basi sub-bulbosa attenuatus, diametro pollicari in media parte paullisper incrassata, e sanguineo fuscescens, punctis reticuloque nullis, solidus. Tubuli a stipite sejuncti, flavissimi, poris rotundis. Caro flavida.

Matang-Poe, m. aug. 1866

Ad iconem Beccarianam.

Polyporus (Pleuropus) Amboinensis, Fr. Epicr.

Singapore, jun. 1865.

— **(Pleuropus) mastoporus**, Lév. voy. de la Bon. (Botan. I, p. 176) tab. 137, fig. 1! Pororum forma distinctissima species, caeteris characteribus *P. lucido* approximanda.

Sarawak, 1865.

— **(Pleuropus) Lingua**, Nees.

Sarawak.

— **(Pleuropus) Beccarianus**, Nob.

Proximus *P. vario* et *picipedi*, nec non *eleganti*, ab illis poris non decurrentibus, minutissimis, rotundis, ab hoc colore nigro primitus caesio-pruinato, stipiteque concolori discrepans. Adfines species amplitudine pilei adaequat. Hymenium alutaceum. Forsan ex adfinitate *Polypori tephromelanos*, Montgn.

Sarawak.

— **(Pleuropus) rhipidius** Berkl. l. c. 1847, p. 319.

Sarawak.

— **(Pleuropus) eriopus**, Nob.

Totus fungus tres pollices altus, pileo erecto, reniformi, repando-lobato, ad stipitis subaequalis cinereo-velutini insertionem infundibulari, spadiceo fere nigricanti, radiatim striatulo, caeterum levi, glabro, opaco. Substantia tenuis coriacea valde rigida, marginis attenuati zona angustissima nuda. Hymenium ex alutaceo cinereum, poris minutissimis aequalibus rotundis.

Sarawak.

— **(Pleuropus) polychrous**, Nob.

Pileus chartaceus rigidus, primitus subinfundibiliformis mesopus, cito definite lateralis verticalis, ex umbilicato flabelliformis, usque tripollicaris, rufus vel castaneus nitens zonis pallidioribus, interdum ochraceo fuscis, aliis obscurioribus, marginali badia, alternantibus; junior fugaciter pruinosus; haud raro linea concentrica mediana asperitatibus notata. Marginis pagina inferior nuda. Hymenium alutaceum, poris minutissimis, rotundis, aequalibus, paullisper descendentibus in stipitem nunc brevissimum, nunc pollicarem et bipollicarem, tenuem, cylindraceum basi disciformi, sublaccatum, versicolorem, pallidum semper.

Formas sequentes distinguere lubet:

. Forma mesopoda

Syn: P. Katui, Ehrbg. hor. phys. Berol. p. 93, tab. XVIII, fig. 12.

— xanthopus, Fr. Obs. II, p. 255.—Epicr. ed 1ª p. 437.

I. Forma pleuropoda

1. var. rufo-aurata

Syn: P. affinis, Nees. Nov. Act. Acad. Caes. Leop. XIII, p. 18, tab. IV.

— luteus, Nees., l. c. p. 16, tab. IV.

— perula, Fr. epicr. ed. 1ª p. 437.

subvarietate: irregularis, pileo magis flabellato in stipitem reductum attenuato.

2. var. pallida

— — α. longistipitata

— — β. brevistipitata.

Sarawak.

Polyporus (Pleuropus) flabelliformis, Klotz. in Linn. VIII (1833) p. 483; Fr. ep. p. 444.—Adsunt formae magis glabratae, margine vix sterili, neque stipite nigro etc.—Var. glabrata concolor.

Pulo-Penang; Sarwaak.

— (Pleuropus) grammocephalus, Berkl. in Hook. Journ. 1842 p. 148, cum *varietate* fuscescenti, attenuata, petalode. — Ipse ill. Auctor speciem erga haesitationes meas determinavit.

Pulo-Penang, 29 maj 1865, Sarawak.

— (Pleuropus) incompletus, Nob.

Subsessilis, 2-pollicaris, profunde lobatus lobis undulatis, glaberrimus, obsolete longe versum sulcatus, supra lutescens, hymenio (pro maxima parte sterili in unico, quod adest, specimine) pallidiore. Pori perpauci qui prostant irregulares, sed typice videntur rotundi, caetero substantia tenui concolori sublaccata obducti. Substantia suberoso-coriacea, e luteo fulva. Forsan prioris forma sterilescens.

Sarawak.

— (Pleuropus) squamaeformis, Berkl. in Hook. Journ. 1852, p. 139.

Formae variae; alterutra forsan secernenda; sed e singulis speciminibus, in hoc grege proteiformi, non ausim.

Sarawak.

— (Placodermeus) piceus, Nob. An *P. australis var. applanata* Fr. ep. p. 464?

Pileus 3-pollicaris deplanatus, piceus, sublaccatus, concentrice sulcatus, obsolete tuberculosus, durissimus, margine inferiore zona angustissima sterili, obtusato. Caro tenuis, dura, cinnamomea, obsolete (specimen junius) stratosa. Hymenium extus brunneum compactum, tubulis brevibus poris minutissimis, subangulosis, acie plana; sporidia ochracea.

Sarawak.

Polyporus (Placodermeus) ungulatus, Bull.

Pulo-Penang: 29 maj 1865.

— (Placodermeus) fulvus, Fr. juvenilis.

Ceylon ad Pedrotallagalla; Sarawak.

— (Placodermeus) rufo-flavus, B. et C. in Journ. of Linn. Soc. X. p. 310.

Specimina juvenilia pileum cuticula quadam rufa secernibili obtectum ostendunt, sub qua latet crusta laccata coloris sanguinei; hymenium pallide citrinum. Speciminis adulti pileus totus laccatus sulcisque concentricis profundioribus; hymenium intense flavum.

Singapore, jun. 1865. — Sarawak — Colombo.

— (Placodermus) semitostus Berkl. in Hook. Journ. 1852, p. 143.

Forma resupinata.

Sarawak.

— — bubidus Berkl? in Hook. Journ. 1847, p. 500.

Ceylon.

— (Placodermeus) Aurora, Nob.

Totus fungus, quoque contextu, colore amoene rosello pruinato gaudens. Pileus usque tres pollices et dimidium latus irregularis, deplanatus, tenuis, subvelutinus, parce zonatus, margine acuto reflexo; poris minutissimis acie obtusa, tubulis brevissimis— *Trametem* suspicor.

Sarawak.

— (Placodermeus) cremorinus, Nob.

Totus plus minus pallide gilvus; contextus magis fulvescens. Pileus suborbicularis, planus, 2-3 pollicaris, glaberrimus, nitens, concentrice sulcatus, margine acuto. Hymenium planum poris minutis rotundis, acie obtusata.

Sarawak.

— (Placodermeus) caliginosus, Nob.

Pileus semiorbicularis, usque tres pollices

latus, plus minus convexus margine acuto subinflexo, opacus, nigrescens, zonatus, in speciminibus junioribus hinc inde lineola pallidiori, radiatim rugose-sulcatus. Contextus tenuissimus, cum tubulis flexibilibus concolor rhabarbarinus. Pori minutissimi, acie obtusa, rotundi. — Diceres pileum *P. rugosi*, Nees.

Sarawak.

Polyporus (Placodarmeus) pusiolus, Nob.

Minutus, magnitudine Pisi dimidiati, omnino resupinatus, centro adfixus, *Poroniae punctatae* formam fere simulans. Pileus fuscellus, lineolis concentricis notatus, glaber, margine acutissimo. Contextus pallidior, ad gilvum vergens, uti hymenium planum vel concavum, poris microscopicis acie tenui acuta.

Sarawak.

— **(Placodermeus) sanguinarius**, Kl. in Linn. VIII, p. 484.

Specimen exoletum. Pileus concentrice rugoso-sulcatum se exhibet.

Sarawak.

— **(Placodermeus) melanoporoides**, Nob.

A *P. melanoporo* (Mtgn.) pileo non sulcato, sed omnino inaequabili, differt. Facies lurida; totus, etiam contextu, e violaceo nigricans, poris minutissimis acie obtusa.

Sarawak.

— **(Placodermeus) zonalis**, Berkl. forma resupinata.

Sarawak.

— **(Placodermeus) crocitinctus**, B. et C. in Journ. Linn. Soc. X, p. 311.

Ejus forma juvenilis, ex integro tomentosa. — Potius *Inodermeis* hoc statu si libet, quam ad *Placodermeos*, inscribendus.

Sarawak.

— **(Inodermeus) caesiellus**, Nob.

Semiorbicularis, pollicem et dimidium latus, valde tenuis, totus e rufescente caesius, glabratus, concentrice striatus, margine extenuato sterili. Tubuli ferruginei, poris microscopicis, rotundis, ore obtuso caesio. — Pro varietate *Polypori versicoloris* haberes, nisi obstaret color contextus.

Sarawak.

— **(Inodermeus) dermatodes**, Lév. voy, d. la Bonite p. 180, tab. 138, fig. 2!

Sarawak.

Polyporus (Inodermeus) zonatus, Fr. cum var. pygmaea.

Ceylon ad Pedrotallagalla; Nuwara Ellya; varietas ex Sarawak.

— **(Inodermeus) confundens**; Nob.

Pileus subspathulatus diametro vix pollicari, chartaceus, fuscescens, sericellus, zonatus zonis obsolete cristatellis, margine attenuato repando, hymenio pallidiori, poris minutissimis sub-rotundis. — Basis sterilis nunc inconspicua, nunc paullisper producta.

Sarawak.

— **(Inodermeus) Peradeniae**, B. Br! Journ. Linn. Soc. XIV, p. 51.

Forma omnino resupinata, hymenio laete citrino.

Sarawak.

— **(Inodermeus) bivalvis**, Pers.

Pusillum, pallidum, zonatum, glabrum, bivalve, valvis reniformibus in sicco vix hiantibus, marginibus abrupte inflexis. — Sparsum, interdum singulis individuis e basi binatis; itemque hymenio facile obliterato, ut *Stereum* fere reddat.

Sarawak.

— **(Inodermeus) personatus**, B. Br! Journ. Linn. Soc. XIV, p. 51.

Una et forma resupinata.

Sarawak, 1865.

— **(Inodermeus) vilis**, Nob.

Specimina tantummodo exoleta prae oculis habemus. Facies tota *Sterei* cujusdam magis plebei; pileus luride castaneus zonis pallidioribus, *P. versicoloris* speciminà senio deturpata simulans. Hymenium in unico individuo aptiori pallide gilvum poris tam microscopicis, ut nisi lente vitrea acutiori discriminari possint.

Sarawak.

— **(Inodermeus) hirsutus**, Fr. poris laceris.

Nuwara Ellya (Ceylon).

— **(Inodermeus) velutinus**, Fr.

Forma resupinata, lutescens.

Sarawak.

— **(Inodermeus) Hasskarlii**, Lév. Ann. Sc. Nat. 1844, II, p. 190.

Sarawak.

— **(Resupinatus) Ravenalae**, B. Br.! Journ. Linn. Soc. XIV, p. 53.

Sarawak, et Singapore.

lyporus (Resupinatus) luctuosus, Nob.

Forma valde suspecta; forsan, si typice exculpta sit, in aliena serie quaerendus.

Subiculum nunc sulphureum, nunc albidum, semper tenuissimum et spumeum, marginans, hymenium luride tabacinum fert e tubulis compactis, subtilibus, obliquis compositum: pori minutissimi concolores rotundi acie tenui integra.

Sarawak.

— (Resupinatus) cinerascens, Schwz.

Forma omnino resupinata. Contextus et margo e rosello gilvi.

Sarawak.

— (Resupinatus) sarawacensis, Brkl. in litt.!

Poris obliquis et fere ex toto hiantibus.

Sarawak.

edalea lenzitiformis, Nob.

Pallide gilva s. alutaceo-albida, usque quatuor pollices lata, utrinque plana; pileo supra subtiliter et adpresse velutino, fere glabrato, concentrice zonis depressis notato, margine tenui. Hymenium stipatissime poroso-lamellatum ita, ut fere diceres zonas pororum rotundorum lamellarum zonis alternare, lamellis tenuibus confertis strictis; hymenium vere intermedium hinc typico Lenzitis, illinc typico accedens Daedaleae; adspectus speciem priori generi adpropinquans, nisi pori in uno alterove specimine absolute marginales de indole Daedalina mihi suasissent. Fungus *Lenziti deplanatae* forsan accedens, nec *Trameti gibbosae.*

Sarawak; Pulo-penang.

— platypoda, Lév?

Stipes in speciminibus, quae sub oculis habemus, minus exacte congruit cum illo ab Auctore suae speciei adscriptum; quod vero a minus perfecto statu individuorum pendere mihi fingo.

Sarawak.

— sanguinea, Kl. in Linn. VIII, p. 481.— Lév. voy. Bonit. p. 186, tab. 33, fig. 3! Fr. epicr. 1ª, p. 493.

Paradenya; Pulo-Penang: Sarawak.

— imponens, Nob.

Pileus suberoso-stuposus, magnus (usque 8-pollicaris) dimidiato-sessilis, flabelliformis, supra umbrinus ad centrum, caetero ligneus, zonis concentricis, concoloribus, radiatim rugoso-fibrosis, margine adpresse strigoso strigis fere ramosis, imo palmatis, obsito. Hymenium primitus fuscum, serius cinereum pruinosum, ad marginem pallide gilvum, lamellis ligneis tenuibus undulatis, demum laceratis, poros maximos ad centrum elongatos, ad basim et marginem integros sistentibus.

Sarawak.

Daedalea pruinosa, Lév. voy. Bon. p. 185, tab. 136, fig. 1!

Hymenium amplis poris subhexagonis in speciminibus juvenilibus *Hexagoniam* mentitur.

Sarawak.

— ? vetulina, Nob.

Utrumque aeque tenet genus, *Trametis* atque *Daedaleae,* hic fungus, cujus unicum specimen adest.— Pileus suborbicularis, ultra bipollicaris, planus margine acuto, e lutescenti ochraceus, velutinus, zonis nitentibus et sulcis angustis concentricis signatus. Hymenium concolor, lamellis pulverulentis sinuosis hinc inde anastomizantibus, acie rotundata.

Pedrotallagalla; maio 1865.

Trametes colliculosa, Berkl. in Hook. Lond. Journ 1847.

Sarawak, 1865.

— ludificans, Nob.

Sessilis, pileo dimidiato, gibberulo, toto concolori cremorino (in sicco), compacto, e spongioso suberoso, colliculoso, zonis nullis, contextu albo, margine attenuato subrepando, poris linearibus angustis, immixtis brevioribus subrotundis, plus minus plicatulis.— Diametro bipollicari et ultra.— Species valde affinis *Tr. gibbosae,* attamen distincta, sicut monet cl. Berkeleyus in litt.

Sarawak.

— versatilis, Berkl. Lond, journ. Bot. II, 150 — (Polyporus fimbriatus), Lév. voy. Bon. tab. 138, fig. 1!—non Fr.; — P. versatilis, Lév. l. c. in textu, p. 182.

Sarawak.

Appendicis modo ad Polyporeorum gregem mentionem faciam fungi adspectu insignis, quem sub nomine *Polypori sanguineo-marginati,* pro interim sumere fas es-

set. Corticem arboris ignotae obducens, stratum centimetrum et semis crassum, extus intusque pallide gilvum, contextu compactum suberosum ligneae duritiei efficiens, superficie pseudo-porosa seu melius dicenda irregulariter obiterque scrobiculata, aequabili. Margo (ex vegetatione praecedenti?) e sanguineo nigrescens, extenuatus.

Sarawak.

Hexagonia subaculeata, Nob.

Pileus 2-3 pollicaris coriaceus, planus, colore ligneo zonis brunneis, sulcisque concentricis aculeolis adpressis coronatis, radiatim rugosus. Contextus fere concolor, subgilvus, suberosus. Margo acutus. Hymenium colore pilei, alveolis sat conspicuis hexagonis, interdum dissepimentorum parietibus transverse corrugatis, acie nigrescente integerrima.

Ab. *H. aculeata* Mtgn. Syll. p. 169 pileo tenuiori pallido, setis sulcorum rarioribus adpressis vix pungentibus differt.

Iohore, 11 jun. 1865.

— **polygramma**, Mtgn.

Sarawak.

— **vitellina**, Nob.

Resupinata, nunc orbicularis, nunc effusa. Pileo supra molliter tomentello, tenui, margine extenuato, cervino; hymenio citrino, poris sat amplis, superficialibus.—Pro forma abnormi *Polypori Peradeniae* lubenter habuissem, etsi color hymenii congruus non sit visus.

Sarawak.

— **Cesatii**, Berkl. in litt.!

« Tenuis, orbicularis, lignicolor; pileo zo-
« nato, zonis concoloribus; poris postice he-
« xagonis (1/108), antice concentricis an-
« gustioribus ». Berkl. in litt.

Sarawak.

Favolus (Mesopus) cillario, Mntg. Cent. IV, N. 82, tab. 15, fig. 2. — Syll. p. 170.

Quatenus e speciminibus semidestructis judicium ferre licet. Alveoli e lacero fimbriati; stipes tomentellus s. velutinus.

In H. B. Peradeniae.

— **(Pleuropus) tesselatus**, Mntgn Cent. IV. N. 84. — Syll. p. 171.

Sarawak.

— **(Pleuropus) scaber**, Berkl., var. fusca, Nob.

Forma typicum *F. scabrum* arctius connectens praecedenti, cui similem jam Auctor ipse in *Linn. Soc. Journ.* XIV, p. 57, speciem suam dixit.—Specimen nostri fungi a forma typica Berkeleyana, quam benevolentiae inclyti Mycologi Londinensis debemus, differt colore toto fusco pilei radiatim striati lineolis sub lente scabridis, praecipue ad basim. Alveoli adamussim cum illis praecedentis speciei tam forma, quam amplitudine et tenuitate et margine minute denticulato, concordant. Sed in nostro sculpturae pilei bulloso-tessellatae nullum vestigium.

Singapore.

Favolus (Pleuropus) scaber, Berkl. var. caespitosa, apoda.

Rambode.

— **(Apus) papulosus**, Nob.

Parvulus, $^1/_2$ pollicem latus, subreniformis, pileo tenuissimo glabro bullato (bullis singulis alveolis respondentibus), alveolis mediocribus, dissepimentis crispis acie fimbriato-lacera. Color ochraceo-fulvus, hymenio pallidiori.

Sarawak?

— **(Apus) auriculaeformis**, Nob.

Pileus reniformis, horizontalis, 3-pollicaris, valde tenuis sed in sicco rigidus, humectus flaccidus, glaberrimus levissimusque, e fulvo cervinus, disco adfixus. Hymenium e gilvo luteolum, a pileo fere indistinctum, alveolis subhexagonis valde superficialibus, sterilibus, dissepimentis rigidis integerrimis. Characteribus incertis genera plura tangit, neque ulteriorem sententiam de consilio meo ferre vellem.

Sarawak.

— **(Apus) cucullatus**, Montgn.

Pileus irregularis ex orbiculari flabellatus, basi in expansionem discoideam desinenti, consistentia chartacea, margine extenuato, lacerato, sterilescenti; levissimus glaberrimusque, unicolor cervinus fascia marginali hinc inde interrupta adusta. Hymenium pallidum alveolis mediocribus versus marginem subrotundo-hexagonis, regione intermedia elongato rhomboideis, parietibus tenuibus facile laceris setulosis. — *Favolo flaccido* Fr. in Linn. V, p. 511 maxime affinem existimo.

Paradenya.

Favolus (Apus) transiens, Nob.

Ex mente cl. Berkeleyi in litteris potius *Hexagonia*. Pulchella species! Pileus 2-3 pollicaris, e sub-reniformi flabellatus, margine obtuse lobato, papyraceus etiam in sicco flexilis, brunneus, velutinus zonis concentricis vix discoloribus densis. Hymenium paullisper pallidius, alveolis potius irregulariter hexagonis, *evidenter ad schema zonarum circinnantium*, ut *Cyclomycis* lamellae, dispositis; dissepimentis tenuibus margine subalbicanti denticulato, sub microscopio composito setulosis. Sporas videre non contigit. Dispositio alveolorum concentrica, et *Cyclomycem* reclamans, evidentissima tunc praecipue fit, cum hymenium sensu obverso, i. e. a margine ad basim, conspiciamus.

Sarawak.

Cyclomyces Beccarianus, Nob.

Nitida species, in singulari genere, ni fallor, tertia. — Fungus totus concolor brunneus, omnino apus mihi visus, etsi basis vix integra a matrice avulsa fuerit. Pileus subreniformis, pollicaris vel sesquipollicaris, convexo-planus, inaequabilis, velutinus, ad marginem zonatus obiterque sulcatus. Hymenii planissimi lamellae concentrice decurrentes, alveolos angustissimos sinuosos efficientes poris brevioribus vel omnino rotundatis saepe interruptos. Dissepimentorum margo albicans, una parietibus pulverulentus. Ascos nullos vidi. Contextus floccosus.

Forma pilei et compages lamellarum minime continuarum pro *Cyclomyce fusco* Fr. in Linn. V, p. 512, tab. XI, fig. 3 sumere fungum nostrum vetuerunt, etsi coloris diversitatem negligere possimus.

Sarawak.

Laschia lurida, Nob.

Sessilis, orbicularis, colore luride cinereo, gelatinosa, glabra; hymenio crasse plicato-poroso. — Cl. Berkeley *L. tremellosae* nimis proximam existimat.

Ceylon; Sarawak.

Merulius similis, B. Br.? Iourn. Linn. Soc. XIV, pag. 58.

Specimina vetusta me dubiosum linquunt.

Pedrotallagalla, majo 1865.

— **Crocicreas**, Nob.

Effusus, ligno innascens extus intusque croceus, ambitu albo determinato; plicis tenuissimis parallelis stipatis. Singularis!

Sarawak.

Hydnum (Mesopus) ferrugineum, Fr.

Ceylon; Sarawak.

— **(Apus) Ravakense**, Pers.

Sarawak.

— **(Resupinatum) glabrescens**, Bkl. et Rav.? Journ. Linn. Soc. XIV, p. 59.

Speciminulum microscopicum.

Singapore.

— **(Resupinatum) Cesatii**, Berkl. in litt.

Effusum, tenuissimum, adglutinatum absque margine libero, albido-ochraceum, aculeis isabellinis filiformi-subulatis, interdum ad medium oedematosis, usque 5 mill. longis; nonnullis ad basim coalitis.

Ad corticem trunci.—Cum *H. membranaceo*, Fr. comparandum.

Sarawak.

Irpex (Resupinatus) depauperatus B. Br. Journ. Linn. Soc. XIV, 61.

Specimen unicum, exoletum.

Pedrotallagalla.

Grandinia crustosa, Pers.

Ceylon.

— **(Apus) glabrescens**, B. Rav.

Speciminulum microscopicum, juvenile, caeteris carie consumtis.

Sarawak.

Odontia? farinacea, Nob. An *Hydni farinacci* speciminulum?

Subiculum fugax granulos minutissimos cristatulos fert. Color e sicco alutaceus.

Sarawak.

Radulum mirabile, B. Br.? nisi potius Hypocreae initia. Status juvenilis ad folia herbae cujusdam repentis.

Gunong Leyon a Linga; novembr. 1867.

BECCARIELLA, Nob. n. gen.—Hymenium inferum, costulis flabellatim a stipite ad marginem decurrentibus, constitutis ex aculeis minimis verruciformibus compressiusculis acutis apice integro vel fimbriato cristatis.—Pileus, pariter ac stipes in illum continuus, e duplici strato constans: externo fomentario molli superficie velutina; interno altero longitudinaliter fibroso discolori.—Totus fungus gilvus, hymenio ad centrum in speciminibus adultis rufescenti; pileo ab 1-6 pollices diametro me-

tienti orbiculari, centro nunc plano, nunc depresso, concentrice zonato zonis cristato-laceris, margine quoque lobato extenuato lobis fimbriatim incisis; in stipitem centralem continuum pollicarem, tres vel quatuor lineas crassum, hymenio producto sensim descendenti. — Fungum maxime evolutum diceres Hydnum mesopodum hymenio sub-Odontoideo; Thelephoreis adscribendum censeo.

Beccariella insignis, Nob. — An Cladoderris dendritica (Pers.) Berkl. in Lond. Journ. of Bot. I (1842), p. 152, var. hymenio scabro?

Idem forsan typus fungi a Cumingio in exsiccatis suis sub n.° 2036, qui nobis non suppetit, distributi.

Sarawak.

Cladoderris dendritica, (Pers.) Berkl.

Sarawak.

Craterellus spathularius, Berkl. C.

Unicum miserrimum specimen.

Sarawak.

— **cornucopioides**, Pers.

Specimen vix rite evolutum; totum concolor; substantia tenuis.

Ceylon.

— **hypolyssoides**, Nob.

Sparsus in facie inferiori folii cujusdam coriacei, pusillus (4 mill. stipes, totidemque pileus cupularis), basi insititia puberula sub lente; totus cinerascens, glaberrimus.

Primo intuitu crescendi modo, nec non pilei forma, *Hypolyssum* in mentem revocat, cujus pileus vero solidus est.

Sarawak, 1865.

Thelephora multipartita, Fr. var. fuscella.

Sarawak; Ceylon.

— — var. soluta.

Pilei partitionibus lineari-multifidis.

Sarawak.

— — var. isarioides, sterilis.

Unicum speciminulum, totum cinereum in lacinias lobosque cylindraceo-subulatos fissum.

Sarawak.

Stereum (Mesopus) spathulatum, Berkl.

Ceylon.

— **(Apus) Berkeleyanum**, Nob.

Contextus e rufo umbrinus; pileus tenuis, sulcatus, tomentosus, inaequabilis rugosus-ve, colore e rufo brunneo; hymenium (in sicco) sub-papillosum nigrescenti-cinereum. *Stereo membranaceo* Fr. adfine existimo.

Sarawak.

— **(Apus) rubiginosum**, Fr.

Sarawak.

Stereum (Apus) ochraceo-flavum, Ellis.

Pedrotallagalla, majo 1865.

— **(Apus) ochroleucum**, Fr. ed. II, p. 639.

Sarawak.

— **(Apus) ferrugineum**, Fr.?

Unicum individuum, neque optimum profecto.

Pedrotallagalla.

Auricularia sordescens, Nob,

Ad corticem effusa, margine pileolatim lobato inflexo; supra cervina tomentella; hymenio sordide melleo obiter plicato.

Sarawak 1865.

Auricularia? An A. lobata, Sommf.?

Specimen vix determinandum.

Rambode.

Hymenochaete depallens, B. Br. in Journ. Linn. Societ. XIV, p. 68, n.° 616!

Singapore; Pedrotallagalla.

Corticium (Himantia) lacteum Fr.

Pedrotallagalla.

— **Berkeleyanum**, Nob.

Lignicolum. Crusta effusa, indeterminata, ex helvolo luteola, superficie aequabili, a matrice non solvenda. — Forsan status abnormis alienae speciei.

Sarawak.

— **Peradeniae**, B. Br. in Journ. Linn. Societ. XIV, p. 69!

Pedrotallagalla.

Hypochnus ruberrimus, Nob. (Stereum Berkl.).

Pulvinuli sat crassi, depressi, orbiculares saepius confluentes, ex toto laete coccinei, margine obtuso concolori, nullo hyphasmatis discoloris vel saltem byssoideo-radiantis vestigio.

Sarawak.

Guepina Spathularia, Fr. - Berkl. fung. ceyl. exs! — *Ellis* fung. Am. Sept. exs!

Pedrotallagalla.

— **fissa**, Berkl. Ann. of Nat. Hist. X, p. 383.

Sarawak.

— **Palmiceps**, Berkl. l. c.

Mattang, januar. 1866.

— **sp. n.?**

Pulo-penang, 29 maj. 1865.

Clavaria intricata, Nob.

Ochrospora, cervina, unciam et semis alta, caespitosa, ramosissima, ramis tenuibus flexuosis intricatis, apicibus saepius penicillatis.

In H. B. Peradeniae (Ceylon).

— **Thwaitesii**, Berkl. et Br.

Forma ramis undulatis apice acutis?

Singapore.

Hirneola hispidula, Berk. Ann. Nat. Hist. III, p. 396? Specimen pauperculum.

Pedrotallagalla.

Dacrymyces varius, Nob.

Lutescens, expallens; nunc clavatus, nunc distentus heteromorphus.—Imperfectus.

Ad lignum senio dealbatum.

Pedrotallagalla.

DISCOMYCETES

Paucissimi fungilli ex hoc ordine extantes in collectione Beccariana vix tute determinandi, quia eorum fructificatio omnino deest vel nimis saltem se exhibet imperfectam. Specimina insuper valde misera.

Peziza (Discina) sarmentorum, B. Br.

Pedrotallagalla.

— **(Geopyxis) Hindsii**, Berkl. var. Beccariana, Nob.

Cupula ultra-pollicaris patellaeformis, margine tenui ciliolato ciliis caducis, stipite semiunciali tenui suffulta; tota glaberrima, concolor, colore melleo.

Lignicola.—Tenuitate stipitis, superficie levi, colore tam disci quam cyathi melleo (in sicco) differt a descriptione typicae formae apud cl. Berkeley in Lond. journ. of bot. I, p. 450.

Ceylon.

— — **crocina**, Mtgn., syll. 186.

Singapore; jun. 1865.

— **(Helotium) lenticularis**, Bull.

Ceylon, ad Pedrotallagalla.

— — **epiphylla**, Pers.

Nisi prioris forma omnino sessilis et tenuior?

Sarawak.

Peziza (Niptera) cinerea, Batsch.

Pedrotallagalla.

Peziza (Dasyscypha) simillima, B. Br. fung. Ceyl. p. 105.

Sarawak.

Helotium agaricicola, B. Br.?

Specimen inane.

Ceylon.

Cyphellà scariosa, Nob.

Cupulae minutissimae helvolae subiculo tenuissimo concolori fugaci stipatim insidentes, membranaceae scariosae. Basidiosporam certissime vidi. Ad corticem Monocotyledoneae *Hysterio* indeterminato adsociata.

Sarawak.

Ascobolus leiocarpus, B. Br. Journ. Linn. Soc. XIV, p. 109.

In fimo bubalino.

Ceylon.

— **sp.**, nondum rite determinata.

In fimo bubalino.

Ceylon.

— **cenangioides**, Nob.

Cupulae gregariae, 1—1 $^1/_2$ mill. latae, margine involuto, extus ferrugineae, disco brunneo, glabrae. Sporidia fere opaca, nigrescentia, levia mihi visa, oblonga, e latere paullisper curvula, obtusissima, 9-10×3-4; paraphyses numerosissimae filiformes vix sursum incrassatae obscure septatae.

E serie Lignicolorum, parasiticus in *Xylaria cupressiformi*.

Sarawak.

Patellaria? Tympanis?

Tota aterrima, erumpens per greges lineares e ligno, primitus turbinata clausa, serius patellaris margine incrassato interdum crenulato. Fructificatio ascospora compacta, sed caeterum incerta. Spora una alterave in lucem prodiit ex typo *Diplodiae*; et tunc eorum memini, quae de *T. Ligustri* citat Cooke (*Handb. of Brit. Fung.* II, p. 723): « *In the same hymenium the fruit of a Diplodia and that of a Tympanis were present* ».

Etich River in ditione Sarawak.

Tympanis vermicularis, Nob.

Caespites nigrescentes, usque 6 mill. diametro, *Myriangium* sat bene revocantes. Perithecia sub-carnosa stromate discoideo tenui applanato nunc circinnatim, nunc gregatim

emergentia, obverse pyriformia, nonnunquam compressiuscula, millimetrum et semis alta, e purpurascenti brunnea, sub lente minute granulosa s. pulverulenta, ostiolo punctiformi impresso; nucleo pallidiori. Asci longe pedicellati, e cylindraceo clavati, 32-34/500 mill. longi, tetraspori; sporidia vermicularia, saepius uno alteroque fine reduncа, pluriseptata, hyalina, 12/500 mill. long. — Ad lignum decorticatum.

Sarawak.

GASTEROMYCETES

Hymenophallus indusiatus, Cda Icon. V. 73 tab. VIII, fig. 51. — *Dictyophora speciosa* Mey. apud Klotzsch. Nov. Act. Cur. XIX. suppl. I, 339, tab. VI forma peridii apiculati differt. Certe iconi *Phalli Daemonum*, Rumph. non respondet.

Ceylon: H. B. Paradenya.

— **roseus**, Nob.

Pollices quinque circiter altus. Volva ovato-conica, squamuloso-pilosa, vix lobata. Stipes cylindraceus albus. Pileus ovatus, lacunoso-cellulosus, sporidiorum massa e viridi lutescente oblinitus, vertice pervio. Indusium roseum, infra pileum exoriens (ut in *Dictyophallo bicampanulato* Montg.) et usque ad volvam fere descendens, retis interstitiis rotundis amplis. — Ad iconis simulacrum notis concomitatum auctore egr. Beccari.

Matang? 3 febr. 1866.

Mutinus? borneensis, Nob.

Totus digitum altus, tres v. quatuor lineas crassus; receptaculo conico, impervio(?), cum stipite albo continuo, transversim ruguloso, sanguineo. Volva ovoidea, persistens, alba. — Foetidissimus.

Matang, jun. 1866.

Ex icone Beccariana, adjectis notula et specimine exsiccato quoad receptaculum minus completo.

Splanchnomyces luteus, Cda.

Sarawak.

Cyathus byssisedus (Jungh.), Tul. ann. sc. nat. 1844, I. p. 71.

Sarawak, ad Mattang; jun. 1866.

Tulostoma pusillum, Berkl?

Rigidum, corneum, 18 millim. altum, badium, indumento furfuraceo luteo detergibili in peridio verruculas fingenti obductum. Stipes 14 millim. longus, vix ultra dimidium crassus, setulis rigescentibus undique exasperatus, sensim in peridium globosum, 4 mill. diametro metiens, vertice minute mammillato, abiens. Cavitas diaphragmatibus pelliculosis percursa. Sporae subangulosae, 00015. Habitu *Tulostomatis exasperati*, Montg., sed triplo minus.

Sarawak, m. aug. 1865, ad ramulos.

Lycoperdon pusillum, Bull.

Ceylon: Peradenya.

— **scrobiculatum**, Nob.

Parvulum, magnitudinis et faciei *Lycogalactis epidendri*, ad culmos putrescentes. — Subsphaericum, badium, scrobiculatum; intus sporidiorum gleba fusca fere ex toto repletum; basi sterili inconspicua. Sporidia globosa, levia, luteola, nucleo centrali obscuriori; 0,00005. Nonne status juvenitis *L. alveolati*, Lév?

Sarawak.

Scleroderma columnare, B. Br.

Sarawak.

Alterum specimen adest, jam effoetum et mihi paullisper incertum, extus intusque citrinum. e Sarawak.

— **anomalum**, Nob.

Stipitatum, stipite lignescenti solido extus lacunoso. Peridium extus (in sicco) umbrinum, adpresse squamulosum, intus lutescens, coriaceum. Gleba umbrina. Sporidia granulata, globosa; 00003.

Gunong Poe.

Stegasma pallidum, Nob.

Peridia gregaria pallidissime alutacea. Sporae flavae sed pallidiores, quam in *Stegasmate australi* nostro, cujus peridia e fulvo castanea in omni vitae stadio, sporaeque intense aureae, a praesenti speciem distinguunt.

Sarawak.

Geaster minimus, Schw.

Specimen miserum, *Sphaeroboli* adspectu, vix tute, nisi comparatione, determinandum.

Sarawak.

Husseia insignis, Berkl. Lond. journ. of bot. vol. VI, 1847, p. 508, tab. XVIII, fig. 3.

Sarawak.

Husseia pachystelis, Nob. — An H. insignis var?

Peridium duplex: exterius sessile, crassum, coriaceum, leve, glaberrimum, tandem reflexum, lobatumque; — interius globosum, papyraceum? *stipite crasso columnari intus cavernoso* suffultum, ore mammoso stellatim fisso dentibus conniventibus. Color? — Gleba sporifera totum peridium replens in fungo juvenili vel adhuc clauso; Columellae nullum indicium. — Peridii externi aperti diameter 2-3 pollicaris, interni pollicem non adtingit. Stipes sesquipollicem altus, dimidium crassus. — Ad iconem Beccarianam.

Sarawak.

Mitremyces Junghuhnii, Schldl. et Müll. bot. Zeit. 1844, Vol. II, p. 401, tab. III.

Gunong Poe: m. aug. 1866.

Trichocoma paradoxum, Jungh. Fl. crypt. Javan. p. 10, fig. 7.

Rambode.

Lycogala? Vix determinandum.

Sarawak.

Arcyria punicea, Pers.

Sarawak.

Enteromyxa cerebrina, Nob. Gen. nov. pr. interim.

Mycelium plasmodicum xylostromoide papyraceum nitens stratosum pallide-alutaceum, ramulos et frustula lignea mucida involvens et undique penetrans, tandem superficie tuberculis obsitum, nunc singulis, nunc seriatim dispositis, nunc omnino applanatis confluentibus, plerumque Pisi magnitudine, anfractibus cerebrinis notatis, gleba helvola sporarum repletis. Sporae simplicissimae, globosae $^1/_{5000}$ mm.; nucleo nullo; capillitio nullo intertexto.

Sarawak, 1865.

PHACIDIACEI

Phacidium dentatum, Fr.

Vix aliena species censendum, etsi fructificatio senio obsoleta ascos sporidiaque rite distinguere non concesserint.

Sarawak.

Hypoderma pusillum, Nob.

Erumpens, minutum, sparsum; perithecia ovalia, turgida, nigra, obtusiuscula; labiis crassis, disco pallido, nucleo albido. Asci cylindracei, 80 × 6; sporidia e cylindrico curvula, sordide viridula, 12 × 5; paraphyses capillares ad apicem paullisper incrassatae, fuscellae.

Ceylon.

Lophodermium sp.

Sarawak, Singapore.

— **sp.**

Ceylon.

Neutrum rite determinandum, quia utrumque discum inane praebet; foliorum coriaceorum incolae, peritheciis ellipticis, in priori specie magis obtusatis, arcte clausis, labiis subtilissimis fere in cristam elevatis. Tertia species adest, quoque e Sarawak, foliicola, peritheciis minutis subrotundis brunneis nitidis, omnino vacua et sedis valde incertae. Aequo jure Phacidium diceres.

Angelina Beccariana, Nob.

Ad Monocotyleae cujusdam ignotae petiolum ni fallor. — Perithecia erumpentia, sparsa; singula interdum connata; 1 — 1 $^1/_2$ mill. longa, e brunneo virentia, opaca, levia, plus minus flexuosa apicibus acutis, turgida, labiis introflexis, disco brunneo. Asci lineares, graciles, 60 × 6, sporidia arcte amplectentes; paraphyses ascos superantes, capillares, adglutinatae, apicibus crassioribus coloratis; sporidia difformia, uniserialia, cylindrica vel subclavata, recta vel curvula, continua vel pluries constricta, opaca, triseptata, 12 — 15 × 5 — 6 lat.

Ceylan.

Hysterium serpens, Nob.

E cortice erumpens. Perithecia stipata, linearia, obtusa, flexuosa, opaca, nigra, levia. Asci subclavati, $^{30}/_{500}$ longi tetraspori; sporidia biserialia, cylindracea, utrinque obtusa, leniter curvula, viridi-fuscella, triseptata, $^1/_{500}$ longa.

Sarawak.

— **Berkeleyanum**, Nob.

Stipiti marcescenti monocotyleo innatum, peritheciis sat confertis, $^1/_2$-$^2/_3$ mill. longis ovalibus, convexiusculis, nitidis, brunneis, rima aequali et marginibus levibus hiantibus. Fructificatio jam ejaculata.

Sarawak.

Aylographum vagum, Lib.

Fructificatio nulla.

Ad corticem spinescentem caulis filicini.

Ceylan, ad Nuwara Ellya.

— **spilomoide**, Nob.

Peritheciis ovali-linearibus in maculas atramentosas congestis, aliis (spermogoniis?) punctiformibus immixtis. Contextus pachydermaticus. Epiphyllum in foliis coriaceis arboris ignotae. Fructificatio nulla distincta.

Sarawak.

PYRENOMYCETES

Torrubia myrmecophila, (Ces.) Tul.

In exuviis *Coleopteri* cujusdam.

Sarawak.

— **gentilis**, Nob.

Entomophyta ad *Sphecoidem* quemdam. Stipes 2-3 pollicaris probabiliter varians ex situ matricis altius vel profundius inter quisquilias sepultae, filiformis, flexuosus, nigrescens, levis, glabratus, in clavulam abiens cylindraceam, centimetrum et dimidium longam, duo millimetra crassam, acutiusculam, pallidissime alutaceam, levem, ostiolis obscurioribus punctiformibus notatam. Fructificatio ignota quia nimis immatura.

Sarawak, ad Gunon Balan. Majo 1867.

— **ophioglossoides**, (Ehrh.) Tul.

Sarawak.

— **Barnesii**, (Thw.) Nob.

In H. B. Peradeniae (Ceylon), 1865.

— **adpropinguans**, Nob.

Specimina hujus fungi nonnulla ex icone a cl. Beccari delineata, adjecta notula brevissima, *Hymenophalli* tunc e terra erumpentis parasitica fuissent. Clavulae caespitosae (nonne unica e basi ramosa?) certe evolutione abnormi irregulares, contortae, colore *T. militarem* omnino simulantes. Stipes brevissimus ad basim subvelutinus, pallide cinereus. Suspicio me tenuit, num de *Cordycipite larvata* (Montgn. syll. p. 200) agatur, quae ad cortices reperta fuit.

Sarawak, Mattang. 1866-67.

— **militaris**, (Fl. Dan.) Tul. Clavulae fragmentum e Borneo?

Hypocrea rhytidospora, Nob.

Sparsa, orbicularis, convexa, corrugata, ostiolis peritheciorum emergentibus granulata, colore e melleo brunnescente. Nucleus stromatis durus, in sicco corneus, flavidus; stratus corticalis pyrenophorus saturatius coloratus. Perithecia dense stipata, minuta, globosa ostiolis mamillatis paullisper protusis. Paraphyses legitimae nullae, sed asci sterilescentes hinc inde paraphysum faciem mentientes. Asci anguste cylindracei, 50×4, basi angustata. Sporidia octona, unica serie disposita, ovalia, episporio corrugato, flavida, 6×4. Ex cl. Cooke, 016—017×009.

Ad corticem et ad Polyporum quemdam in cortice effusum. — Singuli pulvinuli a 2-7 mill. metiuntur.

Sarawak, 1865.

Hypocrea gelatinosa, cum var. **umbrina** Fr. Ad ligna et cortices vetustos.

Pedrotallagalla (Ceylon); Sarawak.

— **rufa**, Fr.

Ceylon.

— **scutula**, Cooke in Grevillea, n.° 41.

In foliis *Myristicae* (ni fallor) omnino superficialis.

Ceylon.

Ad normam speciminis autenthici!—Specimina nostra sterilia exsudationis cujusdam resinosae imaginem reddunt.

Poronia Oedipus, Montgn.

Specimina graciliora, stromate compresso in individuis nonnullis.

Suasum mihi habeo, quod *Sphaeria* (*Cordyceps*) *pileiformis*, Berkl. in *Lond. Journ. of Botany*, 1842, vol. I, p. 155, tab. VII, fig. 6, ducenda sit ad *Poroniae Oedipi* varietatem *cladonioidem* meam in *Comment. Soc. Critt. Ital.* Vol. I, p. 70, tav. IV, fig. IV.

Sarawak.

Sphaerostilbe incerta, Nob.

Perithecia libera, globosa, fuscella; ascis cylindraceis octosporis, sporidiis oblongis, 10-12×5, obtusis, endochromate granuloso, non septatis. Conidiophora rigida, fuliginea, subulata, capitulum ochraceum sphaericum gerentia, e conidiis minutis, ellipsoideis, hyalinis, vix $1\,^1/_2$ longis constans.

Forsitan status *Sphaerostilbis variabilis?* sed apicula ad polos sporarum nulla videre contigit, neque septum.—Hujus forsan

loci *Nectria macrospora*, Becc., cujus solum nomen schedae, inter alias notulas vagantis, inscriptum reperi unacum adumbratione. Asci 8-spori late-clavati, sporarum ellipticarum 1-septatarum endochromate granuloso, nulla vero adjecta commensurationis indicatione.

Pedrotallagalla, in ins. Ceylon; ad ramulum non determinandum.

ria tabacina, Nob.

Perithecia minutissima, conferta, obovata ostiolo acuto, demum fusco-ochracea, collapsa. Asci nulli adsunt, sed tantum sporidia oblonga, 00025, obscure septata? hyalina.

Ad Polypori? frustula.—*Nectriae pezizae* haud dissimilis. Vix *N. suffulta* BBr.

Ceylon.

– **haematococca**, B. Br.?

Perithecia, jam evacuata, contextum laxe vesiculosum sanguineum exhibent. — Cl. Beccari observaverat sporidia oblonga, utrinque obtusa, medio constricta, uniseptata, unica serie ascis lineari-cylindraceis inclusa. Dimensiones ignotae.

Sarawak.

– **cinnabarina**, Fr.

De *N. pytirode*, Montg. suspicatus sum, quae autem ascos clavatos 4-sporos gerit, sporidiaque magis cymbiformia.

Pedrotallagalla in ins. Ceylon.

– **sanguinea**, Fr.?

Imperfecta; aeque dici posset *N. episphaeria*, Fr., sed sporidia mihi continua visa sunt.

Ceylon.

– **myriadea**, Nob.

Perithecia minutissima, conferta, ovata, demum collapsa, pallide aurantia, tenuiter granulosa. Asci lineares, 0018 longi. Sporidia oblique monosticha, naviculaeformia, continua, 1-guttulata, 5×3. Secundum mensuram Cookii = 016×008.

Ad lignum nudum.

Ceylon.

– **coccinea**, Fr.

Sarawak.

ria massula, Nob.

Xylariae cupressiformi aliquantulum similis. Clavulae gregariae, dimidium centimetrum ad summum altae, ovatae in stipitellum abrupte attenuatae, obtusae, rugosae, atrae. Asci lineares, sporidiis cymbiformibus alternatim versis, uniseriatis, utrinque obtusis, continuis, e virenti fuscidulis sub-opacis, 8×5.

Sarawak, ad Mattang; in corticibus et ligno denudato.

Xylaria Rhizomorpha, Montg.

Sarawak, ad Mattang.

— **acicula**, Nob.

Sparsa in petiolis foliisque coriaceis exsiccatis, stipite capillari 1-3 centimetra alto glabro, abrupte abeunti in clavulam globosam, vel obovatam vix millimetrum et semis diametro metientem, asperitatibus obsitam, atram. — Fructificatio ignota.

Sarawak.

— **aristata**, Mtgn.

Sparsa, in foliis coriaceis insititia. Stipes simplex, e basi parum crassiori filiformis, ultra pollicem et dimidium longus, rigidus, interdum paullisper flexuosus, desinens in clavulam oblongam, 3–4 mill. longam, $2^1/_2$ crassam, ostiolis exasperatam, mucronatam. Totus fungus umbrinus, glaber, levis.—Fructificatio nulla in speciminibus nostris.

Sarawak.

— **phyllophyla**, Nob.

Abunde paginam utramque foliorum arboris mihi ignotae obsidens. Stipes pollicem usque pollicem et semis longus, filiformis, ater, glaber, in longitudinem striatus. Clavula tenuis, cylindracea, dimidii centimetri usque centimetrum et ultra longa, umbrina, torulosa, apiculata, immo aristata.

— An *A. Phyllocharis*, Mntg.?

Sarawak, Mattang.

— **axifera**, Mtgne?

Senio evacuata, hinc paululo incerta.

Sarawak.

— **dichotoma**, Kze.

Sarawak.

— **caespitulosa**, Nob.; an H. scopiformis var.? Dense caespitosa, caespitibus pollicem altis e stipite basi ramoso, ramis erectis vel adscendentibus filiformibus, compressis, in clavulam tenuem cylindraceam torulosam apice sterili producto desinentibus. Tota brunnea glabrata. Sporidia ex Cookio 012×0035.

Ex mente cl. Berkeleyi ad verum *H. scopiformem* reduci posset: dissentit cl. Cooke.

Sarawak.

Xylaria scopiformis, (Kze) Fr. var. elatior.
Clavulis elongatis crasse torulosis.
Ceylon.

— **rhizocola**, Mtg.
Individuum singulum, *X. Guepini* habitu et colore haud improbe referens. Perithecia sparsa, protuberantia, minuta, globosa, atra; nucleo ex megmate hyphoideo (ascis abortivis?) hyalino constituto.
E radice herbae cujusdam adsurgit stipes teres, brunneus, opacus, in longitudinem striatus, tres pollices altus, totidem millimetra crassus, sensim in clavulam subpollicarem lanceolatam compressiusculam obtusam cervinam ex ostiolis punctiformibus nigro punctatam abiens. Clavula itemque stipes intus albidi.
Sarawak.

— **exalbata**, B. Br.
Iunior tota albido-pruinosa, clavulis intus cavis, saepius sulco mediano in longitudinem bipartitis.
Ceylon.

— **gigantea**, (Zipp. mss. Lév.), Nob.
Clavulae ultra tres pollices longae, dimidium crassae, quandoque, dum compressae fiunt, usque pollicem latae, in stipitem brevissimum attenuatae, caeterum cylindraceae, vel linguaeformes, vel clavatae, semper obtusae; fulvae ostiolis obscurioribus punctatae; senio nigrefactae longitudinaliter lacerantur et cavas se praebent. Stroma albidum.
Sarawak, ad Mattang; jun. 1866.

— **allantoidea**, Bkl,
Sarawak.

— **intermedia**, Nob.
Hinc *Xylariae massulae*, Nob., illinc *Hypoxylo pauxillo*, Nob., forma adproximans. Sporidia = 3 × 2. — Pulvilli irregulariter globosi, 2 mill. diametro, atri, superficie rudi, intus albidi, compacti.
Sarawak a Kutein.

— **plebeja**, Nob.
Haud dissimilis a *X. digitata* pro qua primitus eam habui; nunc, monente cl. Berkeleio, distinguo. Media intercedit dictae speciei et X. *polymorphae*. — Plus minus caespitosa, curta, pollicem et semis alta, clavulis compressis rudibus, lacunoso-rugosis, nunc simplicibus, nunc digitatis, perithecciis stipatis ostiolo obtuso prominente. Fructificatio ob aetatem nimis provectam ignota,
Sarawak.

Xylaria complanata, Nob.
Tres pollices alta, ad basim interdum ramosa, brunnescenti nigra, glabra, stipite brevissimo; clavulis utrique attenuatis, complanatis, tortis, peritheciis stipatissimis ostiolo obtuso prominentibus. Eheu! specimina nimis evoluta, evacuata.
Sarawak.

— **Hypoxylon var. mucronata**, Berkl.?
Stipite glabrato (et altiori) reapse differret a speciminibus cl. Auctoris; sed singulum individuum e tribus mecum benevole communicatis quoque glabrescens se praebet. Sed forsitan semper forma *X. scopiformis*.
Sarawak.

— **polymorpha**, Grev.
Ceylon; Sarawak.

— **fissilis**, Nob.
Caespitosa, clavulis nigrescenti brunneis, linearibus, duas uncias altis, quatuor usque quinque millimetra latis, stipitatis, torulosis et transverse rugosis, obtusis, saepius longitversum sulco dimidiatis. Stroma carbonaceum, intus secernibile filamentosum. Perithecia brunnea, depresso-globosa, ostiolis vix prominulis. Sporidia, ex Cookii sententia = 02 × 005.—Ad ligna muscosa vel putrescentia.
Sarawak.

— **rhopaloides** (Mntgn.) Berkl! ad specimen humanissime communicatum.
Ceylon; Peradenya.

— **Gardneri**, Berkl.
Ceylon; im H. B. Peradenya 1865.

— **melanaxis**, Nob.
Sparsa, nigra, quatuor usque quinque pollices alta, pro 2 ½ ad stipitem saepius tortuosum, pro residuo ad clavulam spectantes. Stipes angulosus, glaber, nitens, sensim in clavulam abiens cylindraceam, obtusam, longitudinaliter rugosam, ostiolis emergentibus exasperatam. Stroma extus carbonaceum, intus fuscescens, axi filiformi nigro percursum.
Sarawak.

ria Guepini (Fr. el. II, 59 sub Sphaeria), in Comm. Critt. I, p. 74, tab. V.

Ceylon, in fl. Peradenyae; Sarawak. Pro maxima parte sterilis: ramosa, colore carneo.

corniformis, (Fr. l. c. sub Sphaeria), Montg. Conidia, monente cl. Berkeley in literis, minora quam in speciminibus britannicis.

Ceylon, Sarawak.

cupressiformis, (Fr. ut supra) Fr. — Cl. Berkeley monet speciminum nostrorum sporidia jure ampliora esse. Nonnullis clavulis *Ascoboli* n. sp. insidet.

Sarawak.

xylon chalybaeum, Berkl! fide specimi-nis ab ill. Auctore humanissime, simul ac aliis complurimis, communicati.

Synonymon certissimum exhibet *Rosellinia nitens* nostra (Note botaniche di vario argomento. Napoli 1872, p. 13, in Act. Acad. Scient. Physicar. et Math. Neapol. Ser. alt. Vol. V, N. 21), de qua, in diagnosi ad specimen imperfecte evolutum quoad organa reproductionis, ut sequitur scribebam: « Membrana weigeliana brunnescens, gle-« bam albidam includens e filamentis mu-« cilaginosis hyalinis granula minutissima « 1-seriata foventibus simplicibus laxe in-« tertextis efformatam. — Ascorum spora-« rumve nulla adumbratio; nulla attamen « ratio mihi elucet cur de genere ferendum « sit dubium: specimina, quae subjacent, pro « forma pycnidica habeo speciei perbelle in « posteris distinguendae » — Cl. Cooke in specimine ipsi communicato sporidia deprehendit: 008 — 0012 × 0045.

Caeterum et in praesenti nitidum hunc pyrenomycetem pro vera *Rosellinia* habeo, propterea quod subiculum tenuissimum pulveraceum vel velutinum cui perithecia insident, nullimode stromati compacto carbonaceo vel suberoso vel denique lignoso Hypoxylorum comparari queat, imo neque compagi densae tomentosae alias Rosellinarum species involventis simile se praebeat. Erit hinc mihi semper *Rosellinia nitens* (nomine specifico prioritatis jure, ni fallor, gaudenti), tribus distinctis formis se offerens;

a) typica, peritheciis majoribus in glebas effusas coalitis, singulis hinc inde sparsis. (Syn. Hypoxylon chalybaeum B. Br.!)

b) congesta: peritheciis in acervulos convexos (e 7-8 individuis constantes) coalitis; facie magis hypoxyloidea;

c) minor: peritheciis dimidio minoribus arctius coacervatis et subiculo densiore obvallatis. Simillima *Hyp. marginato.* et *H. annulato,* sporidiorum dimensionibus differens. Specierum nostratum *H. Michelianum* Ces. et DN. in Erb. Critt. Ital. ed. I, N.° 783, ed. II, N.° 145; Rabh. fung. Eur. N.° 637; DN. sfer. ital. p. 16, N.° 13, tab. XIII, fungi polynesiaci imaginem reddit.

Hypoxylon microsporum, Nob.

Pulvinuli nigri, opaci, late effusi, minuti 3-4 mill. lati, rarius confluentes, orbiculares, depressi, peritheciis 10-20 minutissimis nisi ostiolis punctiformibus emergentibus. Asci lineares, $^{10}/_{500}$ long.; sporidiis monostichis, ovoideis opacis $^{1}/_{500}$ longis; ad Cookii mensuras = 006 — 007 × 003^{mm}. — Ad lignum nudum durum.

Sarawak.

— **Pseudo-tubulina**, Nob.

Acervuli atri, e subiculo concolori tenui hypophloeode per corticem ramorum, ad arborem mihi ignotam spectantium, erumpentes, Sphaeriam e serie Connatarum (Fries olim), putes *Sph. serpentem* vel *confluentem*, sat bene sistunt. Singulae glebae applanatae, circumscriptae, elongatae, obtusae, saepius rimosae magisque sensu longitudinis, omnino *Tubulinam* praematuре exsiccatam referunt. Sporidia ex Cookii mensuris 035 × 013^{mm}; me fugit fructificatio.

Sarawak.

— **marginatum**, Schw. fide speciminis Berkeleyani! Exemplum vero ex I. B. Ellis. fung. amer. exsicc. mutuatum longe differt.

Sarawak.

— **stigmoideum**, Nob.

Glebae tenues, complanatae, determinatae, nigrae, e cortice erumpentes, ostiolis latentibus. Sporae ovoideae, utrinque obtusae, 5 × 2. Ad corticem mollem, pseudosuberosum.

Sarawak.

— **glebulosum**, Nob.

Stromatis effusi vix vestigium. Tubercula stipata et stipitellata, e grani cannabini ad pisi magnitudinem, umbrina, levia, glebulosa

e peritheciis amplis globosis protundentibus; ostiola e conica basi punctiformia nitida. Asci anguste clavati, $^{35}/_{500}$ longi, sporidia includentes octona, biseriatim disposita, lanceolata, dissimetrica, interdum curvula, opaca, 12×5—6 (Cookio sunt = 03—032×0075^{mm}). Tuberculorum substantia alutaceo-albida; stipitellus haud raro obsoletus.

Primitus pro varietate *apoda Hypoxyli coenopi* (Berkl. Linn. Soc. Journ. of Botany, vol. XIV, p. 120) nostrum fungillum determinaveram; fructificationis characteres dissuaserunt. Omnimode inter dictam Sphaeriaceam et *Sphaeriam (Hypoxylon) Clavus* Fr. (Linnaea 1830, vol. V, p. 543) inserenda erit. — Ad corticem vetustum.

Ceylon, ad Pedrotallagalla. m. majo 1863.

Hypoxylon serpens, Fr.

Sarawak.

— **approximans**, Nob.

Precedenti, cujus forsan varietas minor, simplicior, valde affine, differt tuberculis magis applanatis sessilibusque, ostiolis minime exertis, ascis 45-50/500 longis, sporidiis uniseriatis spadiceis irregulariter lanceolatis, obscure binucleatis.—Ad cortices vetustos.

Singapore; Sarawak ad Etich-River.

— **Avellana**, Nob.

Globosum, laeve, nigrum, a pisi ad avellanae majoris magnitudinem, peritheciis globosis periphaericis atris. Stromatis stratum corticale tenue sed sat durum, corneum fere; extus nunc glabrum, nunc pulverulentum, sed minime rugosum (hinc a *Sphaeria globosa* Sprgl. diversa species); intus suberosum ex alutaceo albidum. Perithecia ab invicem dissita, parum numerosa, ostiolis ad stromatis superficiem vix conspicuis punctiformibus. Asci lineares, 004 longi, paraphysum loco mucilagine plus minus hyalina interposita, sporidiis uniseriatis, opacis, navicularibus, utrinque acutis, 8-10×3; ex Cooke = 035×01^{mm}.

Sarawak.

— **fragaria**, Nob.

Memorabilis species! Glebosa, sparsa, singulis glebis a pisi ad majoris avellanae magnitudinem, nunc omnino sphaericis ad basim parum contractis, nunc basi applanata ad cortices adfixis, tuberculoso-rugosis, umbrinis brunneis vel atris, saepe rore vel pulvere laetius colorato velatis; ostiolis papillaeformibus atris quandoque emergentibus. Stroma durum intus nigrescens, fere ex toto a peritheciis repletum. Perithecia magna, imo ubi pauciora adsint maxima, minoris nempe pisi magnitudine, pyriformia vel globosa, ex mutua compressione obtuse angulosa, pellicula fibrillosa sericea umbrina induta; parietibus crassis carbonaceis; intus hyphasmate quodam luteolo farcta, inspersis sporidiis maximis (12-14×7-8) cylindraceis utrinque obtusis, nigro-brunneis, subopacis, ascorum vestigiis nullis! Conferendum cum *H. macrospermo* Mntgn.

Ceylon ad Pedrotallagalla; Sarawak.

Hypoxylon coenopus, (Fr. Linn, 1830, vol. V, p. 342, sub Sphaeria Montgn. cum var. apoda Berkl.

Sarawak.

— **pavimentosum**, Nob.

Glebae difformi-orbiculares depressae, in crustam effusam applanatam stipatae, tuberculosae, ostiolis subtectis nigro punctatae, intus concolores, Ascos ob maturitatem speciminum nullos perspexi. Sporidia illis praecedentis speciei facie et dimensionibus (usque 17×4-7, ex Cooke 05×009^{mm}) similia. Ad cortices.

Sarawak: 1865.

— **pauxillum**, Nob.

Glebulae pusillae, e peritheciis 5 vel 6 (ubi plura adsint biseriatis), stromate atro nitenti tenuissimo obvolutis, tuberculosae, applanatae, intus albidae, puncto centrali matrici (ligno mucido) adfixae. Fructificationem non vidi.

Sarawak.

— **Clavus** (Fr. l. c. p. 543 sub *Sphaeria*? Perpauca individua exoleta et diffracta.)

Ceylon, in H. B. Peradenyae.

— **micropus** (Fr. l. c. p. 542 sub *Sphaeria*)? Pycnides.

Sarawak.

— **deustum**, Fr.

Ceylon ad Pedrotallagalla; Sarawak.

— **cohaerens**, Fr. var. tenuior.

Ad Polyporum effusum contabescentem.

Sarawak.

oxylon coelatum (Fr. l. c. p. 540).

Vix pro alia specie sumere possem, si contextum stromatis considerem, compagem lacunarum cylindricarum vel anguste clavatarum *verticalium* sistentis, ut facile tibi fingas ipsissima perithecia prae oculis habere. — Glebarum moles conspicua, dum nonnullae diametrum trium pollicum, et quod superest, attingant. Iuniores velo rubiginoso obtectae; intus fibrosum contextum ima basi ostendunt, cui cellulosa strata superstruuntur, atra, nitentia. Plura specimina adultiora *Hypoxylon repandum* vertice concavo marginato simulant. — Sporidia $14 \times 004.^{mm}$ ex Cooke in litt.

Sarawak.

— **macrocenangium**, Nob.

Tubercula a matrice ignota soluta *Cenangium* quoddam dimensionibus insigne in mentem revocant; applanata, orbicularia vel elliptica; pollicaris diametri, margine rotundato sterili distincto, disco depresso aequabili ostiolis vix conspicuis punctato, colore pyreniorum Coffeae adustorum; obscuriori fere atro in disco. Stroma intus concolor, gleba peritheciorum difformium stipatorum discreta, compagem verticaliter lamelloso-cellulosam sistenti, strato crustaceo invòluta. — Fructificationem spermogonicam tantum detegere licuit in speciminibus nimis adultis. Cooke sporidia reperiisse indicat singula, metientia $006 \times 003.^{mm}$.

Sarawak.

— **comedens**, Nob.

Tubercula, penitus *Nummulariae* facie, fossulas ab ipsius pyrenomycetis prostromate excavatas replentia, ovalia vel elongata, rarius difformia, 1/3-3 pollices longa, vel confluentia convexa, plano marginata, a basi solubilia (dimidiata), et tunc superficiem internam planissimam, e basi peritheciorum magnorum crassiorumque disrupta, grosse occellatam ostendentia; — extus nigra, albo-pruinata si zonulam marginalem demas. Fructificatio neque mihi neque Berkeleyo obvia; ex cl. Cooke sporidia obtulit: $02 \times 008.^{mm}$ — Comparandum cum *H. exsurgenti* Mtgn.

Sarawak.

Hypoxylon udum, Fr.

Singapore; Sarawak. (Etich River).

— **deciduum**, B. Br. Journ. Linn. Soc. XIV, p. 120.

Bintula.

— **tormentosum**, Nob.

Effusum, tenue, subareolatum, peritheciis ovatis v. conoideis vertice emergentibus, ostiolo acutiusculo, sed omnino carbonaceis sterilescentibus. Colore, compage, toto habitu comparandum gregi *H. serpentis, confluentis* et affinium, e quibus, quoad characteres exteriores, jam differt peritheciis ex dimidio emergentibus acute ostiolatis.

Sarawak.

— **pithodes**, Berkl.

Rambode (Borneo).

— **anthracodes**, Mtgn.

Sarawak, ad Rambode.

— ? **gangraena**, Nob.

Tubercula confluentia, gyrosa, ramulos ambientia praecipue ad axillas, e stromate sterili pulverulento efformata, illud *Hypoxyli fusci* vel congenerum sterilescentia colore et velo pruinoso simulantia. Intus aterrima, compacta, cultro sat dura.

Sarawak.

Hypomyces chromaticus, Berkl.? Journ. Linn. Soc. XCV, p. 113.

Petiolos plantarum lignosarum ambiens; colore aurantiaco extus intusque alliciens, sed sterile. — Numne potius *Epichlöes* sp.?

Sarawak.

Valsa ceratophora, Tul.?

Characteres exteriores sat congruunt, fructificatio imperfecta. — Ad ramulos hypophloeodes, pustulata, ostiolis arcte connatis elongatis nitentibus.

Ceylon, ad Pedrotallagalla; majo 1865.

— **assimilis**, Nob.

Nostrati *Diatrypi decorticanti* comparanda, pustulis minoribus, ostiolis parce e disco luteo emergentibus. Fructificatio pycnidica. — Ad corticem vetustum.

Pulo-Pinang.; maj 1865.

Melogramma Cinnamomi, Nob.[1]).

Tuberculis erumpentibus, globosis, extus rubiginosis ostiolis nigris punctiformibus, intus nigris; ascis tenuibus subclavatis demum linearibus $^{45}/_{500}$ longis, sporidiis uniseriatis ellipticis $^{5}/_{509}$ longis fuscellis uniseptatis.

[1]) Genus rectius *Melanogramma* dicendum.

Facies *Hypox. fusci.* — Ad corticem Cinnamomi.

Ceylon ad Kandy.

Cucurbitaria insularis, Nob.

Late effusa, stromate tenui anthracino. Perithecia dense stipata, globosa, serius collabentia, aterrima, nitida, ostiolo obliterato. Asci nulli reperti, Sporidia hyalina vel pallida, pupaeformia elongata 22 × 6, plurilocularia cellulosa. — Ad corticem.

Sarawak ad Mattang.

Aglaospora Beccariana, Nob.

Cortici insidens, sparsa, minuta, hemisphaerica, atra, glaberrima, ostiolo punctiformi. Asci lineares, pedicellati, $^{5}/_{500}$ longi, octospori, sporidiis uniserialibus ellipsoideis, utrinque apiculatis 10 × 6-7, diaphragmatibus quatuor occellatim septatis.

Sphaeria Beccariana, Nob.

Caulicola; disseminata, cortici insculpta; peritheciis ex ovato conicis in ostiolum elongatum exeuntibus, mediae magnitudinis, nigris, opacis, crustaceis. Asci primitus clavati utrinque angustati, demum lineares, 70-70 $^{1}/_{2}$ × 6, sporidiis octo biserialibus cylindraceis lunulatis, e latere curvo in serie invicem prospicientibus, fuscellis, triseptatis, 18-20 × 4-6; paraphyses nullae.

In stratu subepidermico caulium marcescentium Nipae.

Sarawak, 7 m. aug. 1865.

— **scabiens**, Nob.

Perithecia carbonacea, basi in epidermide nigrefacta matricis (calami cujusdam) nidulantia, brunnea, conica, 2/3 mill. alta, saepius transverse lineata, opaca; ostiolo punctiformi, deciduo. Asci? Sporidia fusiformia, apicibus productis, curvula, triseptata, fuscescentia; articulis intermediis saepius pallidioribus et incrassatis, ad septum medium constrictis: 15 × 2 $^{1}/_{2}$. Membrana Weigeliana brunneola.

Sarawak.

— **Leveilliei**, Mtgn.?

Incerta ob defectum fructificationis. Monente cl. Berkley ab ejus *Sph. Vesuvius*, pro qua primitus habui tamquam varietatem minorem, certe differt.

Ceylon.

Sphaeria bombardella, Nob.

Peritheciis catervatim congestis, erumpentibus, carnosis, brunneo-nigris; ex cylindraceo turbinatis, ad basim ex mutua pressione angulatis, vertice depresso, ostiolo papillari in areola pallida radiatim rugulosa. Nucleus albidus, gelatinosus, stylosporas adhuc indeterminatas excipiens. Sic mihi se praebuit; Berkeleyo sporidia septata bacillaria videre contigit.

E corticis rimis erumpens.

Sarawak.

— **alvear**, Nob.

Peritheciis sejunctim effusis in ligno nudo nigrefacto et indurato, e basi applanata insculpta formam alvearium antiquorum s. parabolicam sistentibus, magnis, brunneis, primitus; ut videtur, griseo-pulverulentibus, ostiolo papillari minutissimo pertuso, contextu carbonaceis, pulpa filamentosa viridescenti repletis.

Sarawak.

— **macrostomella**, Nob.

Macrostoma; dense stipata cortici vel ligno denudato insculpta; peritheciis globosis chartaceis nigris opacis, ostiolo mamillato platystomo. Asci cylindracei, pedicello longo filiformi praediti, $^{32}/_{500}{}^{mm}$ longi (pedicello incluso), sporidiis octo uniserialibus, oblique invicem accumbentibus, cylindraceis 8-10/500 longis, pluri-septatis.

Sarawak.

— **arundinacea**, Sow.

Sporidia exacte referentia formam *b* fig. 28 (stylosporam) tab. III, apud Fuckel *symb. mycol.* (p. 137), sed hyalina, et asci 4-spori mihi visi.

In arundine quadam incertae speciei.

Sarawak.

— **Sarawacensis**, Nob.

Villosa, interdum subiculo tenui e crustoso tomentoso insidens, dense stipata; peritheciis magnis globosis strigosis, ostiolo elongato cylindrico crasso flexuoso demum deciduo in areola depressa osculum orbiculare relinquenti. Ascos videre non licuit ob aetatem senilem speciminum; sporidia subvermicularia 10 × 3, triseptata, ad septa paullisper constricta, fusca.

Etich River, in ditione Sarawak.

eria regulina, B. Br.?

Perithecia minutissima, ovata, obtusa ostiolo impresso, insidentia subiculo intense brunneo ex hyphis dense septatis simplicibus constituto. Asci lineares, $^{25}/_{500}$ longi, mox difflui. Sporidia curvula, tenuia, altero fine crassiori, hyalina turbidula simplicia (an guttulata?), 7-8 × $2^1/_2$. — Ad lignum denudatum.

Sarawak.

tingens, Nob.

Inter fibras pallide purpurascentes ligni denudati erumpens, sparsa, peritheciis minutissimis, e basi applanata cubili insculpta compresso-ovalibus, ostiolo poriformi. Asci clavati, 27-30 × 6-7 longi, paraphyses mucilaginosae; sporidia octo biserialia, oblonga 7 × 2-3, immatura hyalina 3-nucleolata.

Sarawak.

hisphaeria Beccariana, Nob.

Sparsa, superficialis, cubili insculpta. Perithecia magna, ovalia, umbonata, nigrescentia, gibberula ita ut ostiola mentiantur complurium peritheciorum stromate compositorum. Substantia valde dura anthracina. Cavitas mihi semper una in conspectum venit tapezio e griseo albescenti farcta, glebam ascorum? arcte involventi. Asci ignoti. Sporidia fusca, compressa, 15 × 5-6, didyma, linguiformia, episporio lineolato vel plicato?

Ad lignum denudatum cariosum.

Sarawak.

enteroxantha, Nob.

Perithecia sparsa, minuta, superficialia, obovata vertice depresso, ostiolo punctiformi, coriacea, brunnea. Nucleus aurantius. Asci longe stipitati, e cylindraceo clavati, acuti, 40-41 × 4-5 (cum stipite) paraphysibus filiformibus aequilongis obvallati, octospori, sporidiis uniserialibus, invicem accumbentibus, luteolis, fusiformibus, septatis et medio constrictis, utrinque in apiculum hyalinum brevem acuminatis, 10 × 2. — Post peritheciorum delapsum foveola aurantiaca in matrice superest.

Ad caulem lignescentem putridum.

Sarawak.

ra borneensis, Nob.

Perithecia aggregata, ovata, vertice obtuso, ostiolo nullo (hinc ab *Amphisphaeria* recedens), atra, rudia, tuberculata, pilosa demum calvescentia, carbonacea. Asci numerosissimi (itemque paraphyses capillares illos aequantes), $^{20}/_{500}$ longi, subclavati, in pedicellum aequilongum, capillarem, strictum sed flexilem, excurrentes. Sporidia linearia, utrinque acuta, uniseptata, ad septum obiter constricta, fuscella.

Ad lignum vetustate consumptum.

Sarawak.

Bombardia bertioides, Nob.

Late effusa in subiculo tenuissimo maculari, plagas nigras ad lignum decorticatum seu potius ad ambientem stratum peridermicum efficiens. Perithecia rugosa s. grosse granulata, brunnea, ovata, ostiolo vix prominente perforato; consistentia chartacea; intus alba. — Sporidia octona, biseriata, ex oblongo breviter cylindracea, leniter curvula, episporio tenuissimo, 13-18 × 8, simplicia, hyalina, vel turbidula, omnino conidia *Oidiorum* referentia, in mucilagine fibrillosa nodulis ignotae indolis immixtis natantia. Asci mox difflui nisi ex seriata sporarum dispositione divinandi.

Sarawak, 1865.

Forma altera adest decalvata, quam omnino pro statu senescenti habere liceat. Tertiam quoque formam magis abnormem prae oculis habeo, peritheciis irregularibus, turbinatis vel oblongis, in stipitellum passim attenuatis, sed sterilibus.

De genere *Bertia*, ad typum *Sphaeriae moriformis* Tode condito a cl. De Notaris, pauca animadvertere liceat. Auctor pyrenomycetis, de quo sermo est, *sporidia typice pluriloculari*a tribuit (Comm. d.. Soc. Crittog. Ital. Vol. I, p. 224): Fries concordat, dum ea septata vocat. Apud Fuckel *septum unicum* evadit; et notula sequens diagnosi adjicitur: «*Das Septum der Sporen scheint mir aber ein unächtes zu sein* ». Cooke, qui genus respuit, et speciem prisco nomine Todeano sub *Sphaeria* enumerat, quoque septum unicum ei agnoscit, eamque proximam facit *Sph. spermoidi*, de qua Fries observat valde propinquam esse generi suo *Bombardia:* et reapse pone sequitur *Sphaeria bombarda* apud Cooke (Fungi bri-

tann. p. 861), quae adligata pluribus speciebus sive antiquis, sive recentis creationis, totam seriem sistit ejus *Sphaeracearum denudatarum* (a p. 860-864). Pro adverso Fuckel trahit *Sph. spermoidem* ad genus *Leptospora*, adsociatam *Sph. ovinae* (Symbol. p. 143)! En quorsum ducit distinctio nimis subtilis partium fructificationis!

Rosellinia nitens, Nob.

Videas quae supra (p. 17) exposita sunt de vera sede ad mentem nostram hujus fungilli sub nomine Berkeleyano *Hypoxyli chalybaei* jam relati.

— **spadicea**, Nob.

Perithecia globosa, coffeina, pulverulenta, demum circa ostiolum glabrata, subiculo tenui velutino concolori stipatim insidentia. Ostiolum punctiforme minutissimum. Nucleus albicans. Asci jam reabsorpti. Sporidia ovalia e fronte, sub-cymbiformia e latere, fusca, 6×2.

Ad culmum Bambusae?

Sarawak.

— **hypoxylina**, Nob.

Perithecia minuta, globosa, opaca, ostiolo apiculata, subiculo carbonaceo indeterminato in crustam effusam concrescentia. Asci? Sporidia forma praecedentis, fusca, sed majora 7-7 ½×5.

Ad lignum decorticatum exesum.

Sarawak.

— **mammaeformis**, C D.ris ?

Etsi fructificatio desit, e speciminum de caetero optime evolutorum examine macroscopico, europaeis speciminibus comparatis, vix ratio adesset cur de determinatione dubium ferre licuerit. — Perithecia mammaeformia magna e subiculo granulari, passim evanido, emergentia, ostiolo minutissimo, levia, primitus umbrina, dein e castaneo nigra; pariete crassa carbonacea valde dura; membranula weigeliana brunnea, subdiaphana, grandicellulari.

Ad caudices cariosos.

Sarawak.

— **ignobilis**, Nob.

Ob speciminis conditionem sufficienter explorare non licuit, dubiumque subrepit numne aptius ad *Sordariae* genus, num ad *Sphaeriam* quamdam byssisedam inter plures a cl. Berkeleyo enumeratas ex insula Ceylonia, referenda esset.—Subiculum brunneum, e granulari tomentellum, tenue, effusum. Perithecia aggregata, minuta, globosa, asperula? ostiolo punctiformi. Asci lineares difflui, sporidiis uniserialibus, ut praecedentium specierum forma et colore, 4×2.

Ad lignum putrescentem, sordibus jam obrutum.

Sarawak.

Rosellinia Beccariana, Nob. (Note bot. di vario argomento in Atti della R. Accad. delle Sc. Fis. e Mat. di Napoli, vol. V, 1872, c. Icone).

Gudong aliisque locis ditionis. Sarawak, m. aug. 1866.

Sordaria pachydermatica, Nob.

Perithecia in macula nigricante effuse aggregata, parabolica, nigra, primitus scabra, serius praesertim ad verticem denudata, pariete crassa carbonacea. Ostiolum impressum. Asci lineares, sporidiis uniseriatis, elongato-ellipticis acutiusculis, simplicibus, fuscis, 5×2.

In ligno marcescente.

Etich River, ditionis Sarawak.

— **microspora**, Nob.

Sparsa, peritheciis conicis e basi passim oblonga, vertice pertuso; ascis subtilibus; sporidiis uniseriatis, ovalibus, fuscis, $^{25}/_{500}$ mm longis.

Ad lignum nudum marcidum.

Ceylon, Peradenya.

— **grisea**, Nob.

Perithecia aggregata, maiuscula, ovoidea, cinereo-pulveracea, serius glabrata sed scabrida, nigra, in ostiolum conicum continua. Asci mox difflui. Sporidia ovalia, fusca, simplicia, guttula centrali sat conspicua; e basi truncata sat tute prima aetate caudata esse dicam, 9×5-6.

Ad fimum.

Ceylon, ad Pedrotallagalla, 1865, m. majo.

— **Sarawacensis**, Nob.

Perithecia ex hyphasmate subiculum sat tenax albescens constituente emersa, minutissima, atra, ovalia, in ostiolum acutum carbonaceum excurrentia, caeterum substantia minute vesiculosa.—Asci clavati tetraspori, sporidiis ovalibus utrinque obtusis, polo in-

feriori crasse caudato, $^{9}/_{500}$ longa (quorum $^{5}/_{500}$ appendicem ipsam spectant), $^{4-5}/_{500}$ lata.

In fimo (bubalino?)

Ceylon, Sarawak

laria punctiformis, Nob.

Perithecia minutissima in subiculo crustaceo albicante, ovata, glabra, ostiolo vix conspicuo; contextu grosse vesiculoso. Asci... Sporidia late ellipsoidea, fusca, simplicia, guttula centrali, 8×7, ecaudata (an primitus?) Primo obtutu pro *Sordaria discospora*, Awd. (ap. Niessl. bot. Beitr. p. 42, seu *Hypocopra discospora*, Fuk. Symb. myc. Zweit. Nachtr., pag. 43), habueram. Conditio speciminum ceylanicorum rem rite eruere non concessit. Calvities peritheciorum in nostro fungillo ex senescenti ejus aetate peti posset. Forma sporidiorum in utroque congruit; dissentiunt dimensiones.

Ad terram stercore animalium inquinatam.

Ceylon, ad Pedrotallagalla, m. majo 1865.

– caulicola, Nob.

Gregarie effusa, erumpens, peritheciis depresso-hemisphaericis, brunneis, glabris, opacis, ostiolo minuto coronatis. Asci lineares. Sporidia octona, uniserialia, ovoidea subcymbiformia, simplicia, fusca, 4×2-3.

Ex epidermide caulino Monocotyledoneae cujusdam marcescentis erumpens.—Si volva stellata adesset, certissime habuissem pro *Astrocystide mirabili*, B. Br. in *fungis Ceylanicis*, p. 87. Dubium prorsus me subigit, num in fungo Berkeleyano de vera volva, a matrice rite discreta, agatur, num disrumpendo epidermis caulina fortuito volvae formam sumserit.

Sarawak.

– oblectans, Nob.

Perithecia e corticibus gregatim erumpentia obovata vel obconica, 2-3 mill. alta, atra, laevigata, vertice rotundato in ostiolum minutum acutum abrupte desinente. Nucleus albidus; paraphyses capillares paullo superantes ascos filiformes pro 2/3 longitudinis in clavulam cylindraceam exeuntes, 30×2; sporidia minuta, 2×1, oblonga, utrinque obtusa, simplicia, fusca, octona.

Sarawak.

hidospora exilis, Nob.

Caespitulis parvulis linearibus erumpens; peritheciis nigris minutis globosis astomis. Asci tenuissimi aciculares fere, 15×1, sporidiis filiformibus... Totus nucleus hyalinus juvenilis. Ad ramulum fruticis?

Ceylon, ad Point de Galle, majo 1865.

Rhaphidospora hystrix, Nob.

Memorabile quid!—Perithecia globosa, collo plus minus longo praedita, opaca, super stroma superficiale chartaceum grumulosum a matrice facile solubile glebasque deciduas efformans, conglobata strigisque (ostiolis peritheciorum abortivorum?) obvallata. Asci lanceolati acuti, 25-30/500 longi, sporidiis fasciculatis hyalinis acicularibus pluriseptatis utrinque acutis farcti.

Primo intuitu *Diatrypen irpicem*, B. Br. reperiisse existimaveram, magnopere delectatus de tam conspicuo typo inter Beccarianam suppellectilem detecto. Ast ratio stromatis in utroque diversa, si fungus noster cum speciminibus authenticis Berkeleyanis comparetur, et perithecia minora, neque in *D. irpice* strigae numerosae reperiuntur. Potius ad *Rhaphidosporam Friesii*, Montgn. Syll. p. 251, seu *Sphaeriam Friesii* Ejasd. in Ann. Sc. Nat. Ser. 2ª volume XIV (1840), p. 325, tab. 19, fig. 3, sylvarum Sinnamarensium in Guyana gallica incolam, propenderem, nisi huic ab illustri Auctore tribuerentur perithecia angulosa nitida, quae in nostra specie perfecte globosa opaca, immo pulverulenta fere, observantur. Num differentiarum causa in aetatis situsque discrimine quaerenda? Certissime concordant forma et dimensiones tam ascorum quam sporidiorum.

Ad arborum corticem muscosum.

Sarawak.

Non mirabor, si quis sententiam ferat, trium nomen unico typo spectare.

Sphaerella Plegmariae, Nob.

Perithecia foliicola, sparsa, epi et hypophylla, epidermide tecta, depresso-globosa, contextu vesiculoso. Sporidia fusoidea, curvula, obtusa, hyalina, triseptata, 10-11×2 $^{1}/_{2}$.

Ad folia *Lycopodii Plegmariae*.

Ceylon.

Defectus stromatis perithecia jungentis in maculam aterrimam convexam rugulosam, sporidiaque hyalina, hanc formam *Sphaeriae Lycopodinae*, Montg. subsumere ve-

tuerunt ; neque cum *Sphaerella Niesslii* Awd. convenit, quae sporidiis uniseptatis gaudet.

Sphaeropsis undulata, B. C.? forma pycnidica?

Perithecia caespitose aggregata *Cucurbitariam* simulantia, nigra, vertice depresso; humectata carnosa fiunt. Asci et paraphyses nulla. Sporidia ovalia, exosporio crasso, fuscella, simplicia: guttula ampla centrali, raro binis, 7×4.

Ad cortices.

Alterum specimen fungi Berkeleyani characteres macroscopicos ex toto reddit, sed stylosporas hyalinas curvulas cylindraceas, $3 \times 1/2$. gerit.

Sarawak.

Dothidea oceanica, Nob. (Sphaeria prius in litt. et specim. siccis ad M. Cooke et Berkl.).

Monente cl. Cooke iterum inspecta, a genere *Sphaeria* removendam esse mihi suasi. Fasciculato-congesta, erumpens, atra, superficie minute granulosa, collapsa, sporidiis late oblongis simplicibus uni-guttulatis, in asco clavato biserialibus. Asci $^{25}/_{500}^{mm}$ longi; sporidia 10×5; paraphyses nullae. — Ad cortices.

Sarawak.

— **phaselina**, (Montgn. in Syll. p. 239 sub Sphaeria) Berkl.

Ad Bambusae culmos; specimina nostra Berkeleyanis ex insula Ceylon perfecte conformia, sed spermatia tantummodo gerunt.

Sarawak; Singapore.

— **graminis**, Fr.? nonne potius Doth. stenospora B. Br. in Journ. of. Linn. Soc. XIV, p. 134?

Imperfecta, hinc sat incerta; ad *Panici* pilosi cujusdam folia; forsan *P. trigoni* Whight non Retz.

Ceylon.

— **membranacea**, Nob.

Nisi substantia carbonacea anista obstaret pro entomologico quid habuissem plagulas istas orbiculares vel oblongas spadiceas ad marginem tenuissime pelliculosas, fere ala maculari excurrentes, sensim ad medium tumidulas umbones 1-4 seriatos gerentes, intus sub umbonibus cavitates sphaeroideas hyphasmate quodam albo repletas revelantes, serius a foliis, quibus transversim insident, libere secedendas.

Ad folia sat consumta Monocotyleae non dignoscendae.

Sarawak, e Matang.

Dothidea hysteriodes, Nob.

Ovalis, elliptica vel linearis et tunc *Hysterii* indehiscentis facie, superficialis, basi applanata elongata cubili adnata, nigrescens, levis, ostioli nullo vestigio. Intus quoque atra, e substantia stromatica subcellulosa constans. Asci? Sporidia oblongo-linearia, obtusa, curvula, primitus biloculatia sed non constricta, serius quadriloculatia, fuscella. Ad calamos bambusinos.

Sarawak.

Sporormia minima, Awd.

Perithecia microscopica, ovoidea, acuta ex ostiolo vix conspicuo punctiformi, membranacea contextu laxe celluloso. Asci sessiles, cylindracei, 20-21 × 8, octospori. Sporidia articulis truncatis 3-4/500. longis.

Ad fimum.

Sarawak.

Diplodia Radula, B. Br. Journ. of Linn. Soc. vol. XIV, p. 87.

Non praeteream pedicellum cuneiformem sporarum non vidisse « *with a wedge-shaped pedicel* »; sed omnes characteres concordant, neque excepta statione ad *Musaceas*.

Ceylon, ad Point de Galle. Majo 1865.

Sphaeronema? aurantiacum, Nob.

Perithecia membranacea, 5 mill. alta, ligulata vel difformia, apice angustato obtuso, sub lente composita longitudinaliter lineata, (in sicco) compressa. Sporidia minutissima, ovoidea, hyalina.

Lubenter hunc fungillum pro forma pycnidica *Nectriae* cujusdam venditarem.

Ceylon, Kandy.

Sub nomine *Phomatis* tres formas colligam, quas aptius interpretare in praesenti mihi nefas est.

Phoma Orchidearum, Nob.

Peritheciis epidermide obtectis, microscopicis, in greges minutos compositis, membranaceis, depresso globosis.—Ad Orchideae majoris folia.

Ceylon, Peradenya.

Phoma arundinaceum, Nob.

Superficiale, perithéciis sparsis, minutissimis, depresso ellipticis, nigris; sporidiis vix 1-2/500 longis, ovalibus, fuscellis, numerosissimis.

In culmo quodam lignatili decorticato.

Peradenya.

— **aequivocum**, Nob.

Peritheciis hypophloeodibus in caule exsiccato, sparsis, globoso-vel ellipsoideo-depressis, ostiolo papillari emergente; sporidiis ovalibus obtusis fuscis, 3×2.

Sarawak.

Discosia (incerta).

Sarawak; Singapore.

Meliola triseptata, B. Br.? sterilis, ab *Helminthosporii* specie non determinanda obducta.

— **amphitriche**, Fr.? maxime imperfecta.

Utraque in folio coriaceo. Sarawak.

Rhytisma pongamiae, B. Br. cum varietate peritheciis dispersis.

In foliis coriaceis. Peradenya.

— **Berkeleyanum**, Nob.

Epiphyllum, gregarium, tuberculosum; singulis tuberculis 3-6 mill., magisque dum confluunt, superficialibus inaequalibus rugulosis. Ex fructificatione nimis juvenili asci ovali-oblongi, sporidia elliptica hyalina biguttulata.

In pagina superiori foliorum herbae, uti visum, suffruticosae? subtus ad nervos venulasque hispidulorum *Cyrtandraceae* vel adfinis familiae facie.

Sarawak

Melanconium melanoxanthum, B. Br. var. major.

Pars hypodermica cinguli stromatici passim coffeina evadit.

Ad caulem monocotyleum, ex epidermide erumpens.

Ceylon: HB. Paradenya.

Pemphidium coffeinum, Nob.

An P. dilatatum, R Br.?

Perithecia depresso-conica, 1 usque 1 ½ mill. diametro, saepius in maculas irregulares confluentia, laevigata immo interdum nitentia, ad basim subtiliter granulosa, colore pallide coffeino; osculo verticis punctiformi. Fructificatio minime clara.

In culmo arundinaceo et ad petiolum herbaceum Monocotyleae cujusdam.

Sarawak; Pedrotallagalla (Ceylon).

Rhytismatis, quas puto, aliae quatuor species adsunt, nec unica quidem fructificans, hinc nisi collatis speciminibus aliunde comparatis in posterum eruendae.

HYPHOMYCETES

Stilbum graphioideum, B. Br?

Specimen imperfectissimum. — Ad lignum denudatum nigrefactum.

Ceylon; ad Pedrotallagalla, Maj 1865.

— **clavulatum**, Nob.

Sparsum; stipite 3-4 mill. alto, cylindraceo, firmo, fusco, 1/4 mill. crasso, in clavulam obovatam abeunte, subcinnamomeam, dimidium mill. longam, compactam; sporis globosis, 2/500 mill., nucleo opaco. — Ad asserculas.

Sarawak.

Arthrobotryon Beccarianum, Nob.

Nigrum, capitulo globoso compacto, e sporis clavatis, fuscellis, 15-20×5, pluriseptatis constituto.

Ad lignum nudum.

Sarawak.

Cladosporium occultum, Nob.

Sordide virens, caespitulos minutissimos, e germine glumis occultato *Sporoboli* cujusdam surgentes efformans, hyphis brevissimis, sporis cylindraceis utroque fine paullisper angustatis obtusis 4-septatis, ad septa subconstrictis, 20×7.

Pulo-Pinang, m. Majo 1865.

Helminthosporium decorum, Nob.

Hyphae fertiles rudes, rigidae, rufofuscae, opacae, arrectae e centro hyphasmatis horizontalis concoloris, pulchre radiantis, ramis pinnatim divaricatis ramellorum apicibus globoso — incrassatis. Sporae concolores, cylindraceae, utrinque obtusae, 3-septatae, loculis polaribus majoribus, 12-14×5.

Caespites orbiculares nigros ad calamum *Cyperaceae* cujusdam sistens.

Sarawak.

Chloridium? lunulatum, Nob.

Caespituli atri, aggregati, hyphis rigidis erectis non septatis; sporis numerosissimis

inspersis (an primitus?) curvulis obtusis hyalinis. — Vix *Chaetopsis* ob defectum ramulorum basilarium.

Ad cortices, ubi etiam *Cytisporae* non determinandae incola evadit.

Sarawak.

Chloridium? microsporum, Nob.

Caespituli atri diffusi minuti, hyphis erectis flexuosis rigidis obscure septatis? sporis minutissimis globosis.

Ad Bambusae culmum.

Sarawak.

Merosporium velutinum, Nob.

Acervuli congesti, effusi, nigri, velutinum subiculum efficientes ex hyphis septatis nigrescentibus curtis flexuosis vix ramosis repentibus; sporis ellipticis nigris, episporio crasso, acrogenis? circumfusis.

Ad lignum denudatum.

Sarawak.

Sporidesmium erineoides, Nob.

Caespituli fusco-lutescentes, hypophylli, sparsi, *Erineum* minutum simulantes, sporis fusiformibus pluriseptatis longe et flexuose caudatis, $^{18}/_{500}{}^{mm}$ longis (sine appendice), $^{7}/_{500}{}^{mm}$ latis.

Folia coriacea arboris mihi ignotae inhabitans.

Mattang in ditione Sarawak, m. junio 1866.

— **cirrhatum**, Nob.

Caespituli maculiformes, atri, facillime detergibiles, ex hyphis intricatis constantes cirrhatis obscure septatis, aliis in sporam acrogenam fulvam elongato-ellipticam triseptatam apiculatam, $^{20}/_{500}{}^{mm}$ longam, $^{6-7}/_{500}{}^{mm}$ latam abeuntibus.

Ad folia *Cyperaceae* cujusdam sterilis, ni fallor *Scleriae*, in pagina inferiori.

Sarawak.

CONIOMYCETES

Aecidium sarawacense, Nob.

Hypophyllum, effusum sine macula (saltem in sicco), cyathis profundis margine denticulato, sporis hyalinis (in sicco) irregulariter oblongis, grosse nucleatis, levibus, 15×8.

Ad paginam inferiorem foliorum siccando nigrefactarum herbae vel suffruticis non determinandi.

Sarawak, Octobri 1866.

Aecidium fragiforme, Nob.

Tuberculum Pisi majoris magnitudine sistens in pagina superiore folii coriacei, illa *Podocarpi latifoliae* vel *Dammarae* e. gr. *D. robustae* referentis, cyathorum margine acuto integro, sporis (in sicco) hyalinis s. flavidulis globosis grosse nucleatis, episporio minutissime granulato, $^{20}/_{500}{}^{mm}$ diametri.

Sarawak, m. aug. 1865.

Ceratitium phaeosporum, Nob.

Sparsum; pseudoperidiis columnaribus, pallide ochraceis, apice parum dilatatis erosis, pulverulentis, contextu granulari, basi cingulo quodam concolori limitata; sporis castaneis, globosis, opacis, centro subdiaphano, levibus $^{7}/_{500}{}^{mm}$ diam. — Ad caulem ignotae stirpis.

Sarawak.

Ustilago endotricha, Berkl.

Caryopsidibus *Caricis* cujusdam innata.

Ceylon, ad Pedrotallagalla, majo 1865.

— **leucoderma**, Berkl. teste ipso cl. Auct. in litt. humaniss.

Destruens rhachidem *Cyperaceae* cujusdam; sporis globulosis brunneis episporio levissimo.

Sarawak.

APPENDIX

XENOMYCES, Nob. (Gen. nov.)

Capitula aggregata, sessilia, granuliformia, dura. Flocci pallidi, intertexti, rigidi, curti, sub-sigmoidei, compressi, irregulariter ramosi ramis abbreviatis, recurvis, plus minus obtusis. Cystides ampullaceae stipitatae.

Genus affine *Sclerocystidi* (Bkl. Br.) nec minus enigmaticum.

— **ochraceus**, Nob.

Capitula ex ochraceo fuliginea, 1 mill. diametro.

Sarawak.

Sclerotium glumale, Nob.

Majusculum usque 8 millim. longum, 4 latum, convexum, subtus cavum, margine rotundato undulato, nigrescenti-griseum, crusta tenui sed dura, contextu albo minute vesiculoso.

Glumis marcescentibus *Oryzae* adnascens.

Sarawak.

Sclerotium ligulatum, Nob.

Olivaceum, difforme, cylindraceum v. compressiusculum, pistillare vel turbinatum, passim bifidum, carnosum, intus album, contextu e vesiculoso granulari.

Ad lignum emarcidum humo inquinatum.

Ceylon, ad Pedrotallagalla.

— **hypocreaemorphum**, Nob.

Tubercula laxe matrici adhaerentia, globulosa, umbilico leviter excavato, e citrino ochracea, punctis obscurioribus (fere ostiola fingentibus) notata. Cortex tenuis, caro albida e cellulis contortis turgidis hinc inde nucleolatis lacteis confecta.

Fibris pericarpii Pandani? inspersum.

Sarawak: 1865.

Sclerotium rhachidophilum, Nob.

Spicas Panici? post spicularum delapsum infestans, e rhachide erumpens, depresso globosum, minutum, extus brunneum rugulosum, intus album.

Sarawak.

— **enterophaeum**, Nob.

Hypophyllum, copiosissime disseminatum ad folia arboris ignotae satis coriacea, globosum, rugulosum, extus intusque concolor brunneum.—Dissentit de genere Rev. Berkeley; sed deficientis fructificationis causa, ut nomen habeat, in hac sede relinquo singularem mycetem.

EXPLICATIO TABULARUM

Tab. I.

Boletus Mandarinus, Nob.
» *longicollis*, Nob.
Mutinus borneensis, Nob.

Tab. II.

Fig. I. *a* et *b*. *Agaricus (Tricholoma) subgambosus*, Nob.
» II. *Husseia pachystelis*, Nob.
a Individuum junius, volva adhuc clausa, longitudine dissectum.
b, c. Individua adulta.
Husseia insignis, Berkl.; Auctoris ipsissima icon, comparationis causa adjecta.
Xenomyces ochraceus, Nob.; Caespitulum, hyphae subiculi, cystides.

Tab. III.

Hypocrea rhytidospora, Nob. (Omnia magn. varie aucta).
Fungillus sectus; ejus portiuncula magis aucta; asci c. paraphysibus; sporidia.
Xylaria massula, Nob. (Omnia varie aucta).
Clavula integra; eadem dissecta; paraphysum ascorumque compages; sporidia.
Hypoxylon glebulosum, Nob. (Omnia varie aucta).
Gleba integra; eadem dissecta; ascus immaturus; sporidia.
Xypoxylon adproximans, Nob. (Omnia varie aucta).
Gleba dissecta; ascus immaturus; sporidia aetate varia.
Xypoxylon Avellana, Nob. (Omnia varie aucta).
Gleba dissecta; asci aetate varia; sporidia.
Xypoxylon Fragaria, Nob. (Omnia varie aucta).
Gleba integra; pars glebae dissectae; singula perithecia integra et dissecta; ostiolum; sporidia.

Hypoxylon micropus, Berkl, *pycnides?* (Omnia varie aucta).
Caespitulus; singula pycnis circumscissa; hyphasma nuclei; stylosporae?

Melanogramma Cinnamomi, Nob. (Omnia varie aucta).
Caespitulus; glebula dissecta; asci aetate varia; sporidia.

Aglaospora Beccariana, Nob. (Omnia varie aucta).
Perithecium; ascus; sporidium.

Cucurbitaria insularis, Nob. (Omnia varie aucta).
Caespitulus; bina perithecia collapsa; sporidia.

Amphisphaeria enteroxantha, Nob. (Omnia varie aucta).
Perithecium dissectum; asci paraphysibus immixti; sporidium.

Amphisphaeria Beccariana, Nob. (Omnia varie aucta).
Perithecia nonnulla, sive integra, sive dissecta, sive elapsa; sporidium.

Sphaeria Sarawacensis, Nob. (Omnia varie aucta),
Bina perithecia completa; alia ostiolo delapso; sporidium.

Sphaeria oceanica, Nob. (Omnia varie aucta); legas: *Dothidea*.
Ascus incompletus, pedicello filiformi deficiente; sporidia.

Sphaeria macrostomella, Nob. (Omnia varie aucta).
Caespitulus; singula perithecia, alterum ostiolo adhuc clauso, alterum hiante; ascus, sporidia.

Tab. IV.

Sphaeria Beccariana, Nob. (Omnia varie aucta).
Bina perithecia; ascus valde immaturus; alter perfecta maturitate; sporidia.

Gibbera borneensis, Nob. (Omnia varie aucta).
Perithecium; asci una cum paraphysibus; sporidium.

Rhaphidospora Hystrix, Nob. (Omnia varie aucta).
Caespituli et singula perithecia; ascus immaturus; sporidium.

Bombardia bertioides, (Omnia varie aucta).
Perithecia dissecta; sporidia ascis diffluis liberata paraphysibus immersa; bina sporidia quorum alterum evacuatum et disruptum.

Helminthosporium decorum, Nob. (Omnia varie aucta).
Caespituli folii fragmentum obsidentes; singuli caespitis pars; sporidia.

Sporidesmium erineoides, Nob. (Auctum).
Caespituli pars.

Sporidesmium cirrhatum, Nob. (Omnia varie aucta).
Caespitulus; pars caespituli; singula hypha sporifera.

Beccariella insignis, Nob. (Magnit. natur.) — sic corrigatur inscriptio: Syn? — Cladoderris dendritica var. hymenio scabro?

a. Fungus e facie inferiori.
b. » » » superiori (icon Auctoris pessime reddita).
c. Pileus dissectus.
d. Frustulum pilei e facie superna (haud probe exculptum).
e. » » » infera.

finita stampare il dì 18 agosto 1879



Spheria Beccariana Nob.



Helminthosporium decorum Nob.



Gibbera borneensis. Nob.



Rhaphidospora Hystrix Nob.

Sporidesmium crinoides Nob.

Bombardia berlioides Nob.

Sporidesmium cirrhatum Nob.





c.

Cladoderris dendritica (Pers.) Berkl. var. hymenio scabro.

b.



a.



d.



e.

Hypocrea rhytidospora Nob.



Hypoxylon Avellana Nob.

Amphisphæria enteroxantha. Nob.



Xylaria massula Nob.



Hypoxylon Fragaria Nob.

Amphisphæria Beccariana. Nob.

Hypoxylon micropus. Berkl.

Sphaeria Sarawacensis. Nob.



Hypoxylon globulosum Nob.

Melogramma Cinnamomi Nob.

Sphæria occania Nob.